This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

# COMMENTARII DVO: VNVS DE FEbrium cognoſcendarum curandarumque ratione: alter, de earundem criſibus.

*Tuſſano Ducreto medico autore.*

*QVAM VTILES FVTVRI ſint medicinæ ſtudioſis, ipſa lectio abunde commonſtrabit.*




*LAVSANNAE.*

Excudebat Franciſcus le Preux Illuſtriſſ. D. Bernenſium Typographus.

M. D. LXXVIII.

# CLARISSIMO AC DOCTISSIMO VIRO Viuãtio Rubioni doctori medico celeberrimo, domino ſuo plurimũ in obſeruando T. Ducretus medicus.

*ETSI rectè ac verè quidem ab Ariſtotele dictum ſit, vir clariſſime,* ὅτι ἐὰν χρόνιος τῶν φίλων ἡ ἀπουσία γένηται καὶ τῆς φιλίας δοκεῖ ἡ ἀπουσία λήθην ποιεῖν: *tamen qui patriæ, parentibus ac magiſtris debetur amor, hunc immortalem eſſe debere, nullaq; tẽporis, locorúmve intercapedine atteri extinguiue oportere, à natura edocti ſumus. Itaque licet vigeſimus annus elapſus ſit, ex quo nec te videre, nec de te*

quicquā audire licuit nullo tamē
non die, nullo non tēpore, tuorum
in me beneficiorū recordatio, tuæ
virtutis, morum, probitatis, do-
ctrinæ ſingularis, conſtātiæ & pie
tatis imago oculis obuerſata eſt.
quid enim tibi pro maximis ac
immortalibus in me meritis præ-
ſtare amplius poteram? Iucūdiſ-
ſima profectò grauiſsimáque mihi
ſemper eſſe ſolet tuorū in me tum
infantem adhuc, tum puerū, tum
& adoleſcentem collatorum bene
ficiorum quantumuis crebra re-
datio. Nā meminiſſe iuuat, quo
ſtudio quantáque cura & dili-
gentia, primùm quidem in patria
me vix-dum ſeptimum agentem
annum, æqualéſq; meos cōplures

primis

*primis Grammatices elementis initiaueris: deinde verò Lutetiã tranſlatum cæteris bonis artibus ad humanitatem informaueris: qua quidem in vrbe nominis tui fama ita inclaruit, vt iam tum nemini linguarum peritia, ſcientiarũ cognitione & doctrina cedere meritò videreres. Ea ipſa nominis tui celebritas teipſum, Syluio, Hollerio, Goupylo, Turnebo, Fernelio, aliiſq; ætatis noſtræ viris celeberrimis ita cõmendauit, vt te inter omnes diſcipulos vnũ haberent quem & vnicè amarent & plurimi facerent. inde quàm & illuſtris tui fama per Occitaniã. Aquitaniam, inter omnes omnium ordinum homines percre-*

*buerit, nemo meliùs me nouit, qui & eò, tuo impulſus conſilio veni, & tua inhumanitate fretus, Cadurci, Tholoſæ, Burdegalæ necnõ in alijs earum regionum primarijs vrbibus in multorum doctorum & probatiſsimorum virorum familiaritatem & amicitiã fui admiſſus. Enimuerò vt de cæteris taceam. quanti te fecit magnus ille Iulius Scaliger, noſtri temporis ornamentum? quãtum te amauit? vix profectò quicquã difficile aut arduum in artis noſtræ operibus offerebatur, cuius gratia tuum conſilium, tuámque ſolertiam non poſceret & amplecteretur. Illius exemplo tanta hominum turba, tãtæ vndequaq;*

*familiæ*

familiæ, ad te vnum, tanquam ad alterum Apollinem aut Æſculapium, vltro citróque confugiebãt, vt plerique tui vnius adminiculo & miniſterio vitam acceptam ferrent. Exactis illic aliquot annis, quum me ad artis medicæ ſtudium, in quo iam nonnihil promouerã, hortareris: quid non in me præſtitiſti, quo auguſtiſſimæ artis cognitionem aliquã conſequi poſſem? quid tam abſtruſum, quid tam implicitum quod non euolueris atque expedieris. Sic me ſacris medicinæ tui vnius opera vtcunque initiatum non grauatus es Mompeſſulum deducere, & Schyronio, Rõdeletio, Saportæ, Fontanouo, Honorato, Ca-

ſtellano, Guychardo felicis memoriæ viris eruditiſsimis commendare. Horum doctiſsimis lectionibus quadriennium auditis, atque conſuetudine cum ipſis mihi perte conciliata doctior vtcunque factus, quum ad artis munera obeunda meipſum accingerem, & ad te potiſsimùm procul à nobis diſsitum venire ſtatuiſſem, quò felicius id aſſequerer: hîc, proh dolor, ſæua & inaudita belli tempeſtas, qua miſera patria tot annos percellitur atque conquaſſatur, me aliò vela dirigere, & ad portum aſpirare coegit, huc me modò modò illuc rapiens. Hac miſerrima tempeſtate fieri non potuit quin mihi ſæpenumero tui in ſo-

mnis

mnis occurrerit imago. me ſæpe (mihi crede) terruit ſuſpectæ necis ſuſpicio tuæ. Verùm ut ſummus rerum opifex & bonorum omnium autor, quorundam miſertus eſt, ita tui conſeruandi curam & ſtudium habuit, diuturnóque luctui noſtro finem tandem impoſuere tuæ nuperrimè ad me datæ literæ: ex quibus te euaſiſſe, tot urbes Argolicas medióſque fugam tenuiſſe per hoſtes, necnon patriæ, amicis, qui deſperatæ ſalutis tuæ cauſa mœrebãt, incolumem redditũ eſſe intellexi. His mihi nuncijs veluti ex tumulo excitato, animula reminiſcere viſa eſt cœpíque apud me ipſe cogitare, quónã officij aut gratitudinis genere

*meam erga te obſeruantiam teſtatam facerem, quò quantũ me tibi deuinctum profitear, omnes intelligerent. Idcirco gratos ac memores imitatus agricolas, qui fructuum ſuorum primitias, quantumuis exiguas dominis ſuis offerre non erubeſcunt: leue aliquod munuſculum tibi conſecrandum duxi, vt ei arti, cui me ab ineunte ætate deuoueras, non pœnitendum laborem adhibuiſſe intelligeres. Quum in præſentia in eo genere non eſſet aliud ad manum quod in lucẽ emitterem, Commentariolum hunc de febribus, quantumuis rudem & impolitum ſub nomine tuo apparere paſſus ſum. Tu interim conſi-*

*lium*

*lium noſtrum, pro tua inſigni erga me beneuolẽtia, boni conſules. Vale vir optime, & nos, ſicuti facis, amare perge.*

## T. DVCRETVS LECTORI.

NE mireris, candide lector, ſi nihil in hoc noſtro commentariolo, nouum ac inuſitatum, aut à priſcorum authorum, Hippocratis, Galeni, aliorumque ſiue Græcorum ſiue Arabum ſcriptis diſſentaneum occurrerit. mihi enim ſatius eſſe viſum eſt, omiſſis quampluribus quæſtionibus & paradoxis inani quadam ſubtilitate & nouitatis prurigine potius excogitatis, quàm vt quicquam vtilitatis in ſe habeant, ea tantum attingerem quæ maxime ad praxin ſeſe accingenti medico prodeſſe poſſent. Quũ enim ars ſit longa, labilis autem vt plurimum memoria, eius iuuandæ cauſa in breue compendium ea digeſſimus, quæ ad febrium cognitionem, earumque differentias & curationem maxime facere videbantur. nam quod febres dicantur, & ſint totius corporis ægritudines, ſintque ipſæ morbi omnium frequentiſſimi, atque generi hominũ infeſtiſſimi, adeò vt vix vnquã alium in ægrotante affectũ ſine febre deprehendas:

præterea quòd vix alius vllus morbus maius medico negotium faceſſat, propter repentinas mutationes, variáque & grauiſſima ſymptomata ægrotantis vires ſubitò labefacientia. Idcirco ὑπομνημάτιον hoc de iis earumque criſi conſcriptum medicinæ candidatorum ſtudia adiuuaturum arbitramur: quippe quod videlicet copioſas diſputationes lecturis, tutum auſpicium: arte ipſa vſuris ἐγχειριδίου opportunum ſit futurum.

### *TVSSANO DVCRETO doctiſs. medico, optimo viro, ſummo amico ſuo,*

## *Joannes Serranus.*

Καλῶς Ἱπποκράτης, ἀσκληπιάδων κλέος, εἶπε.
τόν γ' ὄντως ἰητρὸν ἔμεν καλὸν ἄνδρ' ἀγαθόν τε.
Ἰητρὸν, Δούκρητε, μέγαν σέ τε κ' ὄλβιον εἶναι,
πολλοῖς τεκμήραντο τεαὶ χέρες, αὐτὰρ ἔμοιγε
χρηστὰ τεοῦ ἤθη βιότου, καλὸν ἄνδρ' ἀγαθόν τε.
Πολλοῖς γοῦν πολλῶν ἀντάξιον ἐνσημαίνει
ἔργματα σοῦ, αὐτὰρ σ' ἀγαθὸν φίλοι ἄνδρα λέγοιεν,
μνημόσυνον φιλίης αἰειζώοιο λιπόντες.

*LVCVLENTVS COMmentariolus cognoſcendarum atque curandarum febrium.*

DE febribus agere quum ſit animus, ad ſingulas artis medicæ partes, παθολογικὴν nimirum αἰπολογικὴν, Σημειωτικὴν, καὶ θεραπευτικὴν, hũc noſtrum commentariolum referemus. nam propoſita febris definitione, diuiſione, ac eius ſubiecto, ſingularum febrium genera, ſpecies, cauſas, ſigna, nécnon earundẽ omnium curationẽ, ſymptomatũ aleniationẽ recidiuarumque pręcautionem, breui methodo trademus.

*Febris* itaque eſt calor totius corporis præter naturam à corde per vniuerſum corpus effuſus, qui primo & per ſe actionem lædit. *Febris diſfinitio*

Eius quũ multa ſint genera à Galeno multis in locis explicata, ea perſequar quæ ad eius curationem intelligẽdam magis conferre videntur: cuiuſmodi ſunt ea, quæ ab eius ſubiecto, circa quod verſatur, peti ſolent. *Diuiſ.*

Nam febris quædam, ſpiritus occupat: alia, humores: alia, partes ſolidas. Ea quæ in ſpiritibus verſatur, *Ephemera* dicitur: quæ quidem ſimplex eſt, etſi ſpiritus tres ſpecies exiſtant, quod vno inflammato, reliqui facile accendantur. Ad eam *Synochum* non putrem reuocat Galenus 8. Method. licet in humoribus poſita ſit. Quæ verò in humoribus

poſita eſt, vel in omnibus æqualiter, vel in ſingulis accēditur. Quæ in omnibus tantum accenſis & non putrentibus ineſt, *Synochus non-putris* appellata, genere triplex eſt, vel perpetuò decreſcens, vel increſcens, vel æquabilem tenorē obtinens. Quòd ſi æquabiliter omnes humores putreant in magnis vaſis, *Synochus putris* vocatur: quæ poſtea mutato nomine *Synechus bilioſa* dicitur, quòd ſanguinis portio tenuis putrendo abeat in bilem flauam. quod tamen Arabibus non probatur.

*Febris* quæ in ſingulis humoribus verſatur triplex eſt, *bilioſa*, *pituitoſa*, & *melācholica*: eáque vel *continua*, vel *intermittens*.

*Continua* eſt, quæ à principio ad finem, vnicam habet acceſſionem, nulla quiete interruptam: ſed perpetuis particularibus periodis exacerbatam. nam ſi pituitoſa eſt, quotidie: ſi bilioſa, tertio: ſi melācholica, quarto quôque exacerbatur.

*Intermittens*, habet periodos ad integritatem deſinentes, quarum cauſa, non ad ſolam putrentis humoris copiam, aut qualitatē manifeſtam: ſed inexplicabilem quandam vim, vnicuique humori inſitā referēda eſt. Quanquam Galenus ad expultricem facultatem, periodorum cauſam referendam putat, lib. 2. de differentiis febrium.

Πάθη. Atque hæc in febribus periodus interdum certo ordine repetit, interdum verò erratica eſt, quemadmodum interdum anteuertit, in-

terdum

terdum cunctatur.

Eius porrò *anteuertentis* cauſa vel ex humoris copia, aut victus ratione, aut ſuppreſſione excrementorum proficiſcitur, aut quia qualitas humoris acrior à calidis rebus excitata eſt. *Cunctantis* autem periodi cauſæ ſunt contrariæ. *Erraticæ* verò cauſam ſtatuit Galenus, vnius humoris in alterum permutationem, & in victus erratum. Quòd verò in periodis, acceſſiones febrium ſint longiores, aut breuiores, id fit ob materiæ putrẽtis copiam, eius qualitatem, virium robur, habitum aſtrictum, vel laxum, & ſenſum corporis vegetum & exquiſitum vel obtuſum. Harum enim febrium ſunt breuiores paroxiſmi, quarum materia pauca, tenuis, natura robuſta, viæ minime impeditæ, ſenſus vegetus, qui humoris cõtactum diutius ferre non poteſt. Longarum verò acceſſionum cauſæ iſtis ſunt contrariæ.

His poſitis, *cauſæ* febriũ cognoſcendę ſunt, quæ quatuor ſunt genere, ſicut reliquorum morborum, finis, efficiens, materia, forma. *Finis* eſt ipſius actionis læſio ſiue offenſio, vel interdum corporis interitus. Vt enim caloris natiui partes ſunt, integrum corpus ſeruare: ita alieni, corrumpere. *Cauſæ*

De materia febris varie diſputatur. Galenus ſpiritum, humores & partes ſolidas materiam ſtatuit: quòd in his primum calor accendatur, ac deinde in vniuerſum corpus diſtribuatur. reuera tamen febris ſubiectũ cor-

pus ſtatui debet, in quod febris dicitur incidere: non autem in humores & ſpiritus, qui potius cauſæ febris ſtatui debent. nam ex ſpirituum feruore, totius corporis intemperies calida conſequitur. *Forma*, in accidentibus nihil aliud eſſe poteſt quàm ipſorum ratio & eſſentia. At *efficiens* febrium cauſa duplex eſt, interna nimirum & externa. Externa, quę extrinſecus aduenit: vt aëris ambientis calor, frigus, motus nimius, cibi ac potus immodica copia, animi commotiones, & eiuſmodi. Interna verò rurſus duplex, quarum vna proxima ſiue continens dicitur: altera, antecedens ſeu remota cauſa appellatur. Continens febrium ephemerarum cauſa, eſt ſpiritus inflammatus: putridarum verò febrium, eſt humor putreus ſeu putredo: antecedēs earundem, eſt plethora, vel cacochymia, obſtructionem pariens, & idcirco tranſpirationem ſuccorum, & corporis prohibēs: vnde putredo naſcitur. Quod cauſarum argumentum varie à Galeno tractatur. nam interdum ad aſſumenda, educenda, facienda, admouenda reuocat: interdum ad putredinem, ſuppreſſionem calidi effluuii, contactum corporum calidorum, motum, & permixtionem ſubſtantię calidæ. His omnibus addi poteſt ſubiecti afficiendi commoditas ſiue aptitudo: ſine qua nulla cauſa, quantumlibet efficax, morbum efficere poteſt, quemadmodum ea præſente à breuiori cauſa facilis eſt in morbum prolapſio. Subiecti

eti commoditas explicatur à Galeno libro 8. Metho. cap. 8. vbi corpora calida & ſicca prõptiſſime à febribus corripi aſſerit, deinde calida humida: hinc humida ſicco temperata, omnium tardiſſime ſicco & frigido temperamento prædita: quæ poſtrema ſemel febre correpta grauius periclitari docet. His quoque adiungi poteſt, Corporis habitus denſus miniméque perſpirabilis.

*Signa* febrium quum multa ſint, quædam *diagnoſtica*, alia *prognoſtica*. de *Diagnoſticis*, quæ ſpeciem præſentis morbi ſeu febris indicant, hoc loco diſputabitur. hæc enim petuntur à pulſu, vrina, caloris qualitate, ſymptomatibus, vnicuique febri propriis, & à cauſis ſingulas febres gignentibus, aut humorem vnde febris naſcitur, procreantibus quibus neglectis ſi te ad circuitus proportionem referas, ac febrem quotidianã putes, quòd quotidie redeat, fallax erit omnino coniectura. nam duplex tertiana quotidianarum circuitum habet. Itaque ſingularum febrium ſpecies ex his accurate cognoſcenda eſt. Atque hæc methobus in ſingulis febrium differentiis accurate exercenda, antequam eius curatio ſuſcipiatur.

Primum itaque de febre *tertiana* dicendum eſt intermittente. Hæc eſt duplex, vt reliquæ febres tam intermittentes, quàm continuæ: vna *exquiſita*, quę à putrẽte in habitu corporis bile ortum habet. Altera, *Spuria*, quæ *Species febris tertianæ*

bili coniunctam habet pituitam, atque ex vtriuſque putredine naſcitur, pituita nullam exacerbationē afferente. Vtraque vel ſimplex eſt vel compoſita, vel confuſa, vt videre eſt apud Galenum de differentiis feb. Hæc omnia exquiſitę tertianæ adſunt, Rigor vehemens, tanquam aliqua re acuta corpus pungens ob acrem bilis naturam hanc febrem excitantis, ſuppreſſo rigore, calor mox accēditur tanquam ignis ſine fumoſa caligine, mordax ac deurens. Pulſus initio paruus ac debilis, ſed ęqualis, qui ſtatim magnus, vehemēs, velox & frequens exiſtit, donec ad declinationem peruentum ſit: in qua hęc omnia citò abeunt & ad naturalē ſtatum redeunt pulſus.

Vrina vtplurimum, primo quidem circuitu redditur ſubruſa aut ſubflaua, & mediocriter craſſa: in qua tertio die, aut ad ſummum quarto, coctionis ſigna apparent: idque cū nebula, aut eneoremate, atque æquali hypoſtaſi, vnde celeriter indicatur. Hipp. lib. 1. Epid. & lib. 4. Apho. 59. Huius acceſſiones horas duodecim non excedunt, & ſeptem circuitibus. vt tardiſſimé terminatur, ſeu à quinto circuitu ad ſeptimum. lib. 2. de differentiis feb. & Comment. 2. in lib. 6. Epide. Atque ea terminatur integre, eiuſque acceſſiones ſingulæ ad integram intermiſſionem veniunt, bilis vomitu, vrinis, deiectionibus, ſudoribus, aut duobūs, aut tribus, aut omnibus ſimul, ita vt poſt acceſſionem exiguū putridi caloris veſtigium

adſit

adſit. Quæ omnia vel horum plurima, & præcipua ſi adſint, exquiſitam eſſe tertianam denuntiant. Si verò plura vel præcipua deſint, impuram hanc tertianam (de qua poſthac) eſſe putato. Cognitis eiuſcemodi ſignis & aliis quæ prudens prætereo, à Galeno demonſtratis, commode curatio febris primum tertianæ exquiſitæ ſuſcipietur.

Ea in duobus capitibus verſatur, alterantibus remediis, & vacuantibus. Alterandi corporis indicatio ſumitur à cauſa febris calida ſicca & febris natura: quæ ambo quum ſint calida & ſicca, remedia poſtulant humectantia & refrigerantia. Refrigerantibus itaque ſyrupis atque humectantibus vti licebit diſſolutis in aqua cocta hordei quadrupla, non ſaccharata neque melita, quòd omnia eiuſcemodi in natura bilioſa facile in bilem abeant. Eius generis ſunt, ſyrupꝰ acetoſus ſimplex, oximel Galeni. ſyr. de ſucco acetoſę, de limonibus, de cichoreo ſimplex: quibus diſſolutis in aqua decoctionis radicum & herbarum refrigerantium, & aperientium ſine manifeſto calore cõmode potiones gratas, apozemata, & iulebos quis parare poteſt. Cuiuſmodi ſunt radicum gramin. acetoſæ, euexæ, aſparag. cichoreum endiu., lactuca, portula, dẽs leonis, bugloſ. vtrunque capillares herbę: ſemen melonum cucurbitæ, & quæ maiora & minora, practicis dici ſolent. Item flores violarũ nenupharis, decoctum thamarindorũ pruũorum *Curatio*

damacenorum: quæ rite apparata & pauco cinamomo vel puluere triaſantalorum aromatizata & dulcorata in die intermiſſionis, longe ante paſtum ſumi debent.

Victus ratio, cui Galenus in hac febre primas partes tribuit, eôdem ſpectare debet. Ergo iuſculis ex lactuca, oxalide, ſpinaciis, blito, borragine, bugloſſo paratis vtetur æger: in quibus carnes coctu faciles incoquentur, pullorum, vitulorum, pipionum, hædorum: vitatis aſſis, aut certe earum vſu frequentiore, niſi ſucco malorum aranciorum, limonum, omphacio intingantur. Ex quibus rebus, nempe limonibus, & aranciis in talertas ſectis pauca aqua roſarum effuſa & ſaccharo dulcoratis acetaria parabuntur. Vinum eſto oligophorum, atque aqua bene cocta dilutum, cuius loco hydroſacchare, vel ptiſana vulgaris eſſe poteſt.

Vacuatio in hac febre interdum ſuſcipienda eſt, interdum verò omittenda. Suſcipienda quidem vbi ex vrinis crudis intelligitur: nō ſolutum iri ante ſeptimum circuitum. Omittenda verò, vbi vrinæ victoriam naturæ pollicentur. vacuatio autem perficitur chologogis medicamentis, iiſque blandioribus caſſia, mãna, catholicone, diapruno ſolutiuo & ſimplici, electuario de ſucco roſarum in pauperioribus. Rhubar. ba infuſo in decoctione refrigerantium & humectantium: quibus varie permixtis variæ remediorum formulæ deſcribi ſolent.

Clyſteres

Clyſteres in hoc affectu plurimum probantur ex ſero lactis parum cocto, in quo caſſia vel catholicon diſſoluatur, mel violatum, roſat. olea refrigerantia violatum nenupharinum, ſaccharum rubrum. Poteſt parari ex decocto herbarum refrigerantium & humectantium clyſter cum ſupradictis admixtis.

Quòd ad venæ ſectionem attinet, eius parum neceſſarius vſus eſſe videtur: tamen ab Arabibus interdum probatur ad euentilandum ſanguinem qui in paroxiſmis plurimum incaluit: verum eam ante tertium paroxiſmũ non celebrant. quem ſi mittendum iudicabis ab initio ſtatim mittas, nimirum ante tertium vel quartum, ad ſummum paroxiſmum: prout ægri natura, vires, ætas, cõſuetudo, aër, & morbus indicabunt: autore Auicenna lib. 4. fen. 1. tract. 2. cap. 50. Nam poſt hos dies minime neceſſaria eſt quod tunc temporis inclinat morbus & imminuitur.

Vſus balneorũ à Galeno ac veteribus probatus, in febrium generali declinatione plane obſoleuit: quòd eius parandi induſtriam non habeamus, vel quòd in eo multæ cautiones ſint obſeruandæ: in quarum vna, qui peccauer, it febricitanti plurimum nocebit. Has cautiones Galenus ſub finem 11. Meth. recenſet: quarum prima, ne balneum cum horrore adminiſtretur. altera, ne pars princeps ſit imbecilla, vel alia ignobilis: quòd humores balneo fuſi per vias patentes, in imbecillas

partes facile decidant. Poſtrema ne qua in venis primis cruditas ſubſit, quæ alioqui balneo in venoſum genus raperetur. His obſeruatis conditionibus balneum vehementer probatur, quòd eo corpus febri reſiccatum humectetur, tum quòd fuliginoſa excrementa in habitu corporis hærentia foras trahantur: vnde conſequatur totius corporis refrigeratio & à morbo liberatio.

Quæ ſudores mouent in hoc genere febrium, à veteribus vſurpata ſunt, quandoquidem iis ſudoribus qui ab ipſo motu Naturæ excitantur, & ab arte adiuantur, reliquię humoris putrentis per acceſſiones variari ſolēt. Mouentur autem ſudores oximelite Galeni, multum aquoſo, eoque tepido ſub finem acceſſionis exhibito, aqua deſtillata oxalidis, lupullorum graminis pauco ſaccharo dulcorata: decocto radicum aperientium citra manifeſtum calorem, vino oligophoro aqua hordei multum diluto.

Poſtremum curationis caput, verſatur in ſymptomatibus corrigendis. Itaque ſi vigiliæ ægrum male habeant ſomniferis tam ſumptis, quàm frōti admotis ſomnus conciliabitur: de quibus ſuo loco diſputabitur.

Renibus verò & lumbis in quibus ſæpe ardor ægro valde moleſtus percipitur, propter ſanguinem venæ cauæ, qui in acceſſionibus plurimum incaluit, admouebuntur oxycratum oxyrrhodinum, ceratum refrigerās Ga-

leni,

leni, populeum vnguentum in aceto vel aqua roſacea lotum, cui poterit admiſceri mucago pſilii extacta in oxycrato, aqua ſolani, plantaginis, ſuccus lactucæ, portulacæ, & ad odoris gratiam lignum aloes, ſantalum citrinum.

De conditis & cæteris electariorum formis quę ad vires recreandas à medicis imperātur nihil hoc loco præcipitur: quod febris tertiana exquiſita non vſque adeò vires offendat, vt aliis remediis ſit illi opitulandū, quàm victus ratione optime & conueninenter inſtituta.

Febris tertiana *notha* iis regionibus valde familiaris interdum ſimplex, interdum duplex, quæ quotidianā mētitur, ex bilis & pituitæ putredine, in habitu corporis naſcitur, propter meatuū internorū externorumve aſtrictionē vel obſtructionē, vel etiam ex humore melancholico, vt Arabum familiæ placet: cuius cōſtitutio ſæpe lōga eſſe ſolet, vt ad ſex menſes interdū producatur, ac tandem lienis adferat vitia: vt in hiſtoria cuiuſdam adoleſcentis docet Gal. lib. 1. ad Glauconem. Paroxiſmos multò lōgiores habet quàm exquiſita tertiana: qui horas 24. 30. 36. aliquando ſuperant: vnde nata eſt tertianæ nothę partitio in productam, magis productam, & maxime productam. *Species*

Signa ex iiſdem plane fontibus, ex quibus febris tertianæ exquiſitę petuntur: nempe pulſu, vrinis, caloris qualitate. Quæ inter veræ *Signa*

tertianæ, & quotidianæ ſigna media ſunt. Et quantò febris notha, ad alteram propius acceſſerit, tantò ſigna erunt tertianæ aut quotidianę ſimiliora. Prehendit interdum cum papulis initio acceſſionis erumpentibus, ac ęgrum vehemēti pruritu exercentibus, quę ſub finem declinationis diſparent: proximo tamen paroxiſmo repetunt, niſi venę ſectione & remediis corpus humectantibus, & refrigerantibus, in tempore proſpiciatur.

Solutionem hujus oſtendunt, pulſus, qui initio rarus, ac tardus, poſtea durus apparebat, molleſcit: & vrinæ, quę totius morbi principio crudæ extiterunt, conſiſtentiam meliorem habent. Item & breuior ſi ſit acceſſio. Eius febris curanda ratio, poſita eſt in tribus generibus remediorū, pręparantibus primum humorem putredinis authorem: vacuantibus. poſtremò in ſymptomatibus corrigendis.

*Curatio*

Ad pręparandum humorem vſurpari ſolent, non ſolum ea, quę vim habēt humectandi & refrigerandi, verumetiam incidendi, tenuandi: cuiuſmodi eſt, oxymel ſimplex, cuius vſus vehemēter probatur à Galeno li. 11. Method. In cōtumacibus obſtructionibus ſi quis eo immodice non vtatur. nā largior vſus inteſtina radit, tuſſim excitat, & neruoſa corpora lędit. Aqua mulſa, quæ ād craſſos ſuccos extenuandos, glutinoſoſque detergendos plurimum valet ea in natura calida, regione & conſtitutione calida, multum aquea eſſe debet.

In

In ea Galenus hyſopum, ſpicam nardi incoquit lib.1.ad Glauco. Poſſunt radix fœniculi, aſparagi, graminis, acetoſæ in ea incoqui. Quòd ſi mulſam propter mel ſuſpectam habeas, eius loco vti poſſis iulebis & ſyrupis incidentibus & tenuantibus pituitam: cuiuſmodi ſunt, ſyrupus capillorum veneris, de cichon cōpoſitus ſine rhubarbaro, acetoſus ſimplex, de hyſopo & ſimiles. vel apozemata deſcribētur ex radicibus aperientibus (quę interdum in aceto per aliquot horas macerentur) itémque ex herbis hyſopo, cichoreo, agrimonia, capillaribus, cuſcuta, lupullo: ſeminibus fœniculi quatuor frigidis, & floribus cordialibus: in quorum colatura diſſolui rite poſſunt præcedentes ſyrupi ad concinnādas potiones, & apozemata ad aliquot dies, pro medentis arbitrio. In quorum vſu obſeruanda eſt ea cautio quę apud Galenum libro 8. Method. cap. 4. deſcribitur, vt antecedat ſucci vitioſi purgatio, priuſquam ad tollendas obſtructiones accedatur: quum alioqui metus ſit, ſi obſtructionibus liberandis ſtudeas, antequam vacuaueris ne ipſas magis impingas. Itaque primis diebus, ventriculi & inteſtinorū cacochymia, blanda purgatione per os ſumpta, vel per anum clyſteribus iniecta vacuabitur. Cuiuſmodi eſſe poteſt ex catholicone, diapruno ſolut. oximelite, cum aqua hordei cichorii, agrimo, vel in forma boli: cui etiam rei accommodari poſſunt diaphenicō, etiam de citro ſolut. dia-

charta de ſucco roſarum. Atque ab his blãdis purgationibus, ad maiores morbo perſeueran te, progrediendum eſt, non negectis iulepis & apozematibus ante memoratis. Parabitur itaque infuſio ℥ i ß. vel plus aut minus cũ ℈. i. cinamomi in aqua agrimonię, vel in decocto radicis graminis, polipode, feniculi, cichorii, cuſcutę, capilli veneris, & ſimilium. In qua expreſſe catholici ℥ ß. diſſoluetur cum aliquo ſyruporum ante deſcriptorum. Interdum in eo decocto folia ſennę ad ℥. ii. ß. iii. vel iiii. In. coquuntur atque in colatura rhubarbari. Infunduntur, & additur experſſioni ſyru. roſati ſolut. cum agarico ℥. i. vel expreſſionis ℈. iiii. ęgerici ſi ſatis non ſit mouendę aluo. Neque verò ſatis eſt iteratis ſępe pręparantibus reme diis & purgantibus ægro conſuluiſſe, ſed & venę ſectioni, locus in ea febre eſſe debet poſt vnum atque alter ũparoxiſmum: antecedente leui purgatione ante deſcripta. Quæ quidem venæ ſectio ſæpe iteratur, magno ægri commodo.

Quòd ſi morbus vel ægri vitio, culpa, vel errato vel humoris contumacia, in multum tempus protrahatur, (vt ſæpe fieri ſolet) inſtituuntur à medicis ſyrupi magiſtrales appellati, ad blande corpus per certas vices purgan dum accommodati. Vt ſi in ſupradictis ſyrupis & apozematibus foliorum ſennę mundatornm ℥ ii. vel iii. infuderis. agarici ℥ ß. cum leui feruore atque in collatura ad ℥ xii. expreſſa

preſſa ſacchari ℥ viii. ix, vel x. diſſolueris. Ita parabitur ſyrupus perfecte coctus, quo bis terve in menſe vtetur, non neglectis interim clyſteribus. Cuius doſis ad ℥. i. vel ℥. ii. poterit augeri addita rhubarb. infuſione, aut medicamenti alterius admixtione, vt medico videbitur.

His autem remediis vſurpandis tempus opportunum eſt, ipſa febris intermiſſio. Nam in acceſſione, vt ab Hippocrate prępcipitur, nihil prorſus moliendum, niſi forte in eius declinatione refrigerandi caloris gratia, clyſterem iniicias.

Prętet hęc commemorata remedia, vomitum plurimũ probat Gal. quo à cibo excitato multos ſe perſanaſſe ſcribit lib. 1. ad Glauco. In quo certe magna vis eſt purgandi, non ſolum eam colluuiem humorum, quę in ventriculo reſidet, verumetiam in cauis iecoris, & lienis partibus, ac totius meſenterii ſuperuacaneos humores eliciendi, qua velut ſarcina leuata natura, reliquum facile deuincet. Atqui in his regionibus hoc remedii genus raro tentatur propter ægrorum mollitiem. Quod ſi forte æger, cum quo nobis res eſt, ad vomitũ ſua natura pronus & obſequens fuerit, vomitum prouocabis oxymelite ſimplici aqua paulum tepida, paulum diluto. Nam (vt Galenus ait 8. Method.) Quæ tepida ſunt, robur vētriculi diſſoluunt, ſicque vēntriculus ad vomendum redditur paratior.

Conditis & electuariis ad ventriculum & hepar roborandũ viréſque recreãdas comparatis locus eſſe poteſt in hac febre. Cuiuſmodi ſunt diarrhodon abb. tabellę trioſantal. vel quę ex varia vtriuſque, & raſurę eboris, cornu cerui permixtione à medicis deſcribi ſolent. Neque verò prętermittendi ſunt fotus intemperato hepati refrigerando, & obſtructioni liberandę conuenientes: vt ſunt qui ex abſynthio, agrimonia, cuſcuta, cichoreo capillaribus herbis, bugloſ. borrag, cipero, floribus camomillę, roſis rubris, ſemine endiuię, portula in aqua incoctis, pauco vino affuſo & aceto.

Epithemata ex aquis refrigerantibus & digerentibus permixto aceto parata. Litus ex oleo roſaceo de abſynthio, lotis in aqua roſarum, quibus regio hepatis illinitur: vel ex iiſdem addita cera linimentum paratur.

Quæ verò carpis admouentur, (quod in hiſce locis factitatur) ſiue refrigerent, ſiue calfaciant, ea ſunt eiuſmodi, vt nihil plane his tribuendum ſit. Nam etſi lactuca recens, flores nenupharis primo occurſu nonnullam ipſi ęgro leuationem caloris afferre vidẽtur: tamen calor, qui hepar & corpus incendit, vinci non poteſt nec extingui. Verum cum iſta nihil incommodi ægro afferant, eorum vſum facile concedimus. Minus ferendi ſunt qui aduocent calida carpo, vt radicem vatrachii ranunculi appellati, allia cum ſale & theriaca cõtu-

ſa

ſa & multa alia quæ imperita multitudo admonet.

Victus ratio in hoc febrium genere non ſolum ad humectandum & refrigerandum, verumetiam ad incidendum & detergendũ ſpectare debet, eáque concoctu facilis, nunc parcior, nunc copioſior, pro febris breuitate vel longitudine. Ergo caro vitulina, pullaſter cũ radicibus graminis, petro. pauco hyſopo, bugloſſo, borrag. lactuca, cichoreo domeſtico incocta erit ex vſu, quietis tẽpore. Nec enim in acceſſione cibo locus eſſe debet, niſi imbecillitas virium premat, aut multum productus ſit paroxiſmus: quo tempore aliquid gelatinę ad vires recreandas declinante calore concedemus. Præterea obſeruandum, vt ante 4. 5. 6. horas ante paroxiſmum æger cibetur in victus ratione vſurpat Galenus, piper inditum ptiſanæ, quod hoc tempore non obſeruatur. Vnum cõceditur album, fuluum tenue, aqua cocta multum dilutum, vel eius loco hydromel aquoſũ, hydroſacchar. ex decocto graminis paratum: ptiſana vulgaris, cum paſſis prunis pauca liquentia parata.

Poſtremum illud eſt, vt ſi quod ſymptoma, paroxiſmum conſequatur, mitigetur. Itaque ſi æger de lumborum & renum dolore conqueratur, aut vigiliis ad remedia his ſedatis cõuenientia confugiendum eſt, ante explicata, ventriculo ſi qua ineſt imbecillitas ex vomitu relicta aut propter pituitam, fouendus erit,

oleo roſaceo, abſynthii, & interdum maſtichino. Quod attinet ad balnea, & ſudores mouentia idem plane eſto iudicium cum febre tertiana exquiſita, niſi quòd ſudores mouentia paulo vehementiora vſurpari poſſint.

*Tertiana cõtinua Synochus bilioſa dicta*

Febris *duplicis tertianæ nothæ*, & duarum tertianarum eadem omnino curatio, quæ & ſimplicis nothæ. His explicatis de tertiana cõtinua dicendum eſt, quæ Synochus bilioſa appellatur, eáque duplex: vna quidẽ quę mox & per ſe prehendit: altera ſynocho putri ſuccedit, vt docet Galen. lib. 2. de febribus: quæ altera longe mitior eſt. Quæ primò & per ſe prehendit, à calore feruentiſſimo, quo corpus afficit, καῦσος Græcis, Latinis ardens appellatur. Quæ ab iiſdem plane cauſis ortum habet, à quibus febris tertiana exquiſita: à qua diſtinguitur, quòd bilis in hac, in habitu corporis putreſcat: in illa verò in magnis vaſis & interdum in ſimis hepatis partibus, ventriculo, pulmone: vnde maligna ardens febris naſcitur, & ea quę lipyria appellatur, vbi interna deuruntur externis refrigeratis.

*Species*

Duplex autem genus febris ardentis, vnum exquiſitum, alterum nothum. Legitimi ex ſola bile in magnis vaſis nati, aut Eryſipelatis pulmonis, iecoris, vẽtriculi ſuccedentis ſigna pathognomonica ſtatuit Galenus ſitim inextinguibilem, quæ tamen leui tuſſi mitigari ſolet, vt explicatur Aphoriſ. 54. lib. 4. Aphoriſmorum, & calorem valde vrentem. Aſſiden-

*Signa*

tia

tia ſigna συνεδρεύοντα πάθη linguę ſiccitas, nigrior, dolor ventris torminoſus, faſtidium, delirium non exquiſitum ex bile cum pituita cruda aut ſalſa putrente generatur, in qua corporis grauitas, conturbatio, vrinæ craſſæ, de qua & eius ſignis, nulla à Galeno diſputantur in commēta ἐπιδημιῶν. His ſignis, & his quę à pulſu, vrinis & caloris qualitate ſumuntur.

Vbi ardentem febrem cognoueris, eius curandę ratio, eſt diligenter ineunda. Ea autem poſita eſt, in quatuor potiſſimum capitibus.

Primum, complectitur ea quę humectandi & refrigerandi corporis, & obſtructa liberandi facultatem habent. cuiuſmodi ſunt ſyrupi, iulebi, apozemata capite de febre tertiana exquiſita deſcripta, in quorum numero eſt, decoctum tamaryndorum, in quo ſyrupus de cichoreo ſimplex, violatus diſſolui poſſunt.

Secundum, verſatur in euacuatione: quæ perficitur purgatione & venæ ſectione. Purgando corpori conueniunt cholagoga, cuius generis ſunt, ſyrupus laxatiuus roſarum pallidarum, caſſia, catholica, diaprunum non ſolutiuum & interdum ſolutiuum, cum ſero lactis vſurpatum, quod in ſucco acetoſę, tamarindorum decocto, vel herbarum & radicum refrigerantium & humectantium, aperientium ſine manifeſto calore, vt graminis, acetoſæ, cichorii, violarum, bugloſſæ, borraginis, lactucę, ſeminum frigidorum maiorum aut minorum, cui expreſſo, ſyrupus violarum infuſionis

permiſcebitur, aut alii ſimiles. Clyſteres & ad ardorem extinguendum & aluum ſubducendam magnopere conferunt: qui parabuntur ex ſero lactis, cui diſſolui poterunt caſſia, catholicum, olea refrigerantia, violarum, nenupharinum, & cętera quæ in clyſteribus antea explicata ſunt. Interdum ſine vllo medicamento purgante parari poſſunt ex iiſdem rebus decocto lactucæ, cichorii violarum, nenupharis, floribus camomillę, & nonnullorum ſeminum frigidorum.

De venę ſectione varie diſputatur. omnes enim fere eam ſuſpectam habent, quòd portione ſanguinis ardorem bilis temperantis vacuata, bilis magis feruescat. Galenus tamen in comment. Aphor. 23. lib. 1. In magnis doloribus, inflammationibus & febribus ardentiſſimis, venę ſectionem ad animi deliquium vſque celebrat: cuius conſilium quidam exiſtimant locum habere in febribus ſynochis putribus, quas Gal. 6. cap. lib. 2. de criſibus in genere febrium ardentium collocat. Et his re vera ſalutaris eſt venę ſectio. Reliquis magis ſuſpecta eſt, ac non niſi cum ſumma religione tentanda, potiſſimum in temperamentis valde calidis & valde ſiccis naturis.

Tertium caput huius curationis ad vires ſummo calore, vigiliis perpetuis proſtratas reficiendas comparatum eſt. Hę autem tribus remediorum generibus reficiuntur alimentis cardiacis, & ſummum conciliatibus præſidiis.

Itaque

Itaque victus ratio non ſolum intemperiem emendabit, verum etiam triplicis ſubſtantiæ iacturam vires eneruantem reſtaurabit, obſeruatis cautionibus, quæ à veteribus in inſtituenda victus ratione in morbis acutis ſcripta ſũt.

Eius generis erunt iuſcula capite de febre tertiana explicata, & quæ ex perdici, capis prelo exprimi ſolent, quibus ſuccus limonũ omphaciũ recens permiſcebitur, hordeacea, quibus ſemina frigida addi poſſunt, vt papaueris lactucæ, melonum. Vitabuntur frumentacea appellata, rizatum, auenatum. Ad victus rationem aer frigidus ſpiratus referri ſolet, qui parandis eſt in ſtratis inſperſis foliculis lactucarum vitium, ſalicis, in oxiccaro immerſis, vel eodem per ſolum cubiculi ſparſo apertis feneſtris aquilonem ſpectantibus. Nam aëris frigidi inſpiratio ad febrilem calorem mitigandum plurimum cõfert, modo corpus non deligatur, febricitantibus enim corpus ſemper mediocriter tegi neceſſe eſt, ne aëris frigidi occurſu, meatus corporis occludantur, ac inde febris geminetur aut augeatur.

Cardiaca viribus recreandis conueniunt occulta quadam vi, interdum manifeſta. Cuiuſmodi ſunt lapides hyacinthi, ſaphirus, ſmaragdus, granatus, margaritæ, raſura heboris, cornu ceruí, ex quibus fiunt tabellæ, admixto ſaccharo in ſucco limonum diſſoluto, vel opiate addito ſucco acetoſę, nenupharis, bugloſſi, borraginis, atque his ſyrupo conue-

niente exceptis. Parantur ex iiſdem rebus potiones cardiacæ, cum deſtillato reſtauratiuo cõmuni, aqua ſcabioſæ, cardui benedicti, ſucco limonum.

Somnifera parantur ex decocto lactucarum recentium, capitis papaueris, in quo ſyrupus de nenuphare, de papauere diſſoluitur, hordeatis commemoratis, frontalibus ex oxyrhodino & aliis quampluirimis, capite de ſomniforis explicandis.

Ad tertium caput referri poſſunt epithemata, linimenta, olea, quę tum cordi, eius & hepatis refrigerandi gratia in morbi vigore à medicis inſtituuntur. Parari ſolent epithemata ex aquis lactucæ, oxalidis, bugloſſi, borraginis, cardui: addito aceti modico. In quib⁹ trochiſci de camphora, lignum aloës, omnia ſantalorum genera diſſoluuntur: atque in his linteolum duplicatum immerſum, ter quatérve ipſi cordis regioni admonendum. Scarlatam alii vſurpãt, quę quibuſdam improbatur, quod Arcenicum vel aliquid aliud deleterium ſimile in tinctura recipiat.

Harum herbarum ex quibus fiunt aquę deſtillatæ, decocta nobis conſueta parem aut longe maiorem vim habere videntur. Oleum nenupharinum, violaceum lota in aqua roſarum admixto ſucco acetoſæ, puluere ligni aloës, ſantali citrini in eundem ſcopum imperari ſolent. Et vnguenta ex iiſdem oleis cera excepta. Poſſunt & in vaſe duplici liquari

cum

cum cera ſufficient eadem olea, deinde aſſumi di ſuccus acetoſæ, mucago pſilii conuenienter extracta, atque ex his parari linimēta. Hepati refrigerando conueniunt eadem olea, epithemata ſi aliquid adſtringentis addideris. Præceptum eſt enim therapeutices apud Galenum lib. 11. Method. In ventriculo & hepate roborantibus ſemper eſſe vtendum. Vnde laxantes potus & cataplaſmata non probat.

Poſtremum caput, vt corrigantur ſymptomata ardentem febrem conſequentia, cuiuſmodi eſt ſitis, delirium, æſtus hypochondriorum, ardor renum & lumborum. Sitim ſedantia ſunt taleolę mali citrii in aqua roſarū maceratæ, tenelli caules, lactucarum in aqua roſarum immerſi ac deinde in ore retenti, pruna aciculis compuncta & in aqua hordei infuſa, folia acetoſæ, noduli ex ſemine portulacæ, pſilii cidoniorum, melonum incluſis atque in aqua roſarum infuſis. Delirio proſpicitur ſomniferis inſtitutis, non ſolum ſumptis, ſed admotis, pullis gallinaceis per medium ſectis, pulmonibus grandium animalium recens mactatarum detonſo capiti admotis, lotione pedum, & aqua ex alto in peluim guttatim effuſa. Ardor hypochondriorum reſtinguitur linimentis antea inſtitutis, lumborum clyſteribus & his quæ antea ſunt explicata. In victus ratione inſtituenda prætermiſſum eſt caput de vini, aquæ & ſeruiſię potione. De quibus quid ſit ſtatuendum, facile intelligetur, ſi quis

in conſilium adhibuerit ea, quę ab Hippocrate explicantur lib. 2. de victus ratione in morbis acutis: nẽpe virium robur, morbi magnitudinem & conſuetudinem. Virtus enim quum valet, eundem plane victum quem conſuetudo indicat. Sin imbecilla eſt, neglecta conſuetudine, virium ratio haberi debet. Itaque ægro frigidæ aſſueto, vinum oligophorum ad vires recreandas eſt concedendum. Hoc conſilio adductus Hippocrates, non modo in diariis febribus, verum etiam in acutis vinum exhibet imbecillis viribus. Idem verò prohibet, vbi vires aliud genus potionis extinguendo morbo conueniens ferre poſſunt. Vbi autem morbi magnitudo & vehementia indicationi, quæ à conſuetudine ſumitur, repugnat: eam plane abſorbet, ac tum inſtitui debet ea potio, quæ magno morbo oppugnando conferat, cuiuſmodi eſt aquæ potio. Sic enim ſcribit Gal. lib. 11. Method. Vbi magnitudo febris reſiſtit ſicut in continuis, vino non eſt vtẽdum, ſed aqua frigida in iis febribus eſt aptiſſima. Quippe ipſius febris perpetuum eſt remedium, non tamen putreſcentium humorum, per vrinas, per aluum, vel per ſudores vacuandorum. Prçterea conſuetudinis ratio haberi debet, nam laborãti frigidæ aquæ potioni aſſueto, aqua, non vinum exhibendum eſt. Sic enim loquitur Galenus lib. 8. Method. de ſiccis & calidis naturis diſputans. Cenſeo eius generis naturas, dum valent, eiuſcemodi portione

tione

tione magnopere iuuari, nec in diaria febre his, quibus vſus fuit, eam circũſcindo. Si quis verò non aſſueuit, hunc per febrem dare non inceperim, niſi priſtina eius ſanitate prius reſtituta. Idem mihi plane de vino & de ſeruiſia dicendum videtur: ſi qui enim per ſanitatem his non aſſueuerint, hiſce morbo affectis non ſunt exhibenda, niſi virium imbecillitas diſſuaſerit, quo tempore (vt antea dictũ eſt) quę à conſuetudine indicatio ſumitur, plane abo-letur. *Cauſi* ſpurii curatio iiſdem plane remediis quę capite de febre tertiana notha deſcripta ſint.

De reliquis febribus intermittentibus dicendum eſt, nempe quotidiana & quartana, quarum vtraque duplex eſt, intermittens & cõtinua: vtraque rurſus exquiſita, vel non exquiſita. *Quotidiana febris* intermittens naſcitur ex pituita in habitu corporis putrente. Altera in magnis vaſis. Cauſæ vtriuſque ampliſſime explicatur à Galeno lib. 1. ad Glauconem, nempe omnia quę pituitoſum humorem in corpore congerunt. temperamentum frigidum & humidum, liberalior victus ratio, otium animi & corporis, motus à cibo intẽpeſtiuus, balnea & cætera hoc capite explicata.

Signa petuntur ex vrinis, quæ crudæ ſunt, tenues, ac poſtea craceſcũt, pulſu raro, paruo tardo. Caloris qualitate, qui initio halituoſus, & vaporoſus ſentitur ac poſtea nihil acris. Sũt & alia ſymptomata vt grauitas totius corpo- *Sign*

ris, ſopor, partium extremarum frigus, initio acceſſionis. In cuius fine nullus plane ſudor.

*Curatio* His ſignis febris intermittentis quotidianæ cognitæ curatio ſuſcipi debet: quæ in humorem apparantibus remediis poſita eſt. Vacuãtibus, vires recreantibus ac poſtremò, his quę ventriculo robur addunt. Apparatur pituita cruda & craſſa his quæ vim habent incidendi, tenuandi. quibus primo loco blandioribus, deinde vehementioribus vtendum eſt. Itaque vſus oxymelitis ſimplicis, ſyrupi acetoſi, ſimplicis, oxymelitis parati cum radicibus aperientibus, ſyrupi de cichoreo, de hyſopo, vſus in hac febre magnopere probatur: quibus nõ cedit hydromel ſimplex, vel cum hyſopo radicibus aperientibus paratum. Nec apozemata quæ à medicis deſcribuntur ex radicibus aperientibus, hyſopo, polipodio, origano agrimonia, chamepithi, chamedri capillaribus, ſemine carthami, fœniculi, melonũ. In quarum rerum decocto nonnulli antedictorum ſyruporum diſſoluuntur. Atque vbi initio leuioribus aperientibus conſultum eſt, tum de vacuando humore eſt cogitandum.

Vacuatio autem is phlegmagogis, & per os ſumptis & per clyſterem iniectis. Vulgatum remedium ex catholicone, diaphœnico parari ſolet. Paratur pauperibus ex ſolo diacartha, ab iis ad vſum agarici, foliorum ſennę, rhubarbarũ progrediendum eſt, ex quibus variæ formulæ effinguntur, Paratur etiam interdum

terdum ſyrupus laxatiuus ex foliis ſenæ, agarico infuſis in antea deſcripto apozemate. Verum horum remediorum & apparentium debent eſſe quædam certę viciſſitudines. Pilulis in his febribus vti poſſis, phlegmagogis, cuiuſmodi ſunt quæ ex agarico ex maſſa pilularum agregatiuarũ, ſine quibus puluere hyeræ ſimplici rhubarb. ex quibus variæ formulæ pilularum deſcribi poſſunt, quę ruſticis & his qui potionibus vti non poſſunt imperantur. Clyſteres non ſunt in his febribus negligendi. qui parantur ex hydromelite ſimplici, vel ex eo cum radicibus & herbis incidentibus, tenuantibus parato, in quo diaphemicum diacartha, catholico, interdum infuſio agarici diſſolui poſſunt: mel anthoſatum propter flatus, confectio hyerę ſimplici, oleum camomillæ, anethinum. Neque verò ſolum remediis phlegmagogis ægro proſpicitur, verum etiam venæ ſectione, quæ tum tempeſtiua eſſe ſolet, cum calor febrilis per vrinas magis, quàm antea tinctas ſe prodit. Quæ venæ ſectio in febre continua quotidiana, multò quàm intermittente tutius vſurpari conſueuit. Vires quæ morbi longinquitate paulatim offenduntur, ſuſtentantur alimento medicato, nempe incidente, tenuante, quod initio plenius eſſe debet, vt docet Galenus 1. ad Glauconem.

Et quoniam qui hac febre laborant, multa madent humiditate, non tam frequens debet eſſe vſus elixorum, & iuſculorum, quàm in cę-

teris febribus, corpus magis inflãmãtibus. Vinum eſto album, tenuẽ, fuluum, aqua cocta dilutum, minus quàm in aliis febribus: cuius loco & hydromel eſſe poteſt. Apud quos ceruiſia eſt in vſu, minus conuenit, niſi pauxillum vini albi permiſceatur, quemadmodum neque cæteræ potiones frigidæ, quę ex piratio, & pomatio parantur. Quidam vſurpant decoctum gayaci, valde dilutum cum ſaccharo, aut melle coctũ: cuius certe magna vis eſt, in crudis humoribus apparandis, & quo ſalubriter vti poſſis, modò cœlum non reclamet.

Poſtremum eſt, vt conſulatur ventriculo & partibus vicinis, nempe hyponchondrio vtrique, quod (vt inquit Galenus li. 2. de Criſibus cap. 5.) magna ex parte inflammatur & diſtenditur. Conſulitur autem ventriculo & hypochõdriis ſumptis & admotis. Sumuntur tabellę concoctionem promouentes, & robur ventriculo hepatique addentes: cuiuſmodi ſunt quæ ex electa diarchond. alb. aromatici roſati, dianiſi, lætitiæ Galeni parantur: aut opiatæ ex conſerua anthos, bugloſſi, borraginis, cortice citri condito. Pulueribus nonnullis electuariorum prædictorum, cum ſyrupo aliquo conuenienti effinguntur. Eodem ſpectabit potio ex hydromelite in quo theriaces, conſeruæ anthos, bugloſſi diſſoluuntur. Extrinſecus admouebuntur olea primum calfaciendo & confirmando ventriculo idonea. Cuius generis ſunt de abſynthio, de mẽta, maſtichi-

num, anethinum, camomillæ, de ſpica nardi, nucis moſcatæ, quibus autem quam ventriculus illinatur, molli manu fricabitur ad excitādum calorem natiuum, & poros cutis aperiendos, quos ita apertos, olea facilius ſubibunt. Linimenta ex iiſdem oleis deſcribuntur, addita pauca cera, quibus ſæpe puluis permiſcebitur radicis galāgę, ciperi, calami aromatici, ligni aloës nucis moſcatę, caryopheorum, mentæ ſiccæ, abſynthii maſticis fotus ad cruditates coquendas & exuſcitādum calorem natiuum, flatus diſcutiendos plurimum conferūt, ſi à ſedulo miniſtro ex præſcripto medici bene vſurpentur.

Hi autem parabuntur ex ſaluia maiorana abſynthio, roremarino, menta, agrimonia origano: foliis lauri, thymo, ſquinanto, aut iunco odorato, calamo aromatico cipero, ſemine fœniculi, aniſi, floribus camomillę, anethi, roſis rubris. Horum ſimplicium nonnulla in aqua & vino incoquātur, atque in his immerſa ſpongia, vel filtrum bene expreſſum calidum, ventriculo ex hypochondrio diſtento admouetur. Poſt fotum olea vel linimenta adduntur partibus deterſis & ſiccatis.

Præter hæc commemorata remedia Galenus vomitum valde probat, & quæ ſudores atque vrinas mouent. verum vomitus non eſt temere tentandus, vt antea præceptum eſt. Quæ verò vrinas & ſudores mouent, tunc cōmode vſurpari poſſunt, cum coctionis ſignifi-

cationi vrinis apparuerit.

*Quotidiana cõtinua.* Febris *quotidiana continua* iiſdem generibus remediorum oppugnatur, quibus febris intermittens. Idem ſentiẽdum de Arabum febre lipiria, quam contra veterum Græcorum ſententiam, à multa pituita periculum ſuffocationis afferente gigni tradunt.

Idem quoque de febre epiala, quę phlegmagogis pręparãtibus remediis ante explicatis procuratur. Reliquę febres continuæ ſiue aſſodes fuerunt, ſiue tiphodes & colliquantes ad ardentem febrim referri poſſunt.

*Feb: quartana.* Quòd verò attinet ad reliquum genus *febris intermittentis*, quòd quarto quoque die repetit, id ex ſucco melancholico putrente in ſiniſtro potiſſimum hypochondrio, vel atra bile. Et vt Arabibus placet, pituita, natura ſucci melancholici referente, naſcitur. A qua etiã quæ Hippocrati lib. 1. Epid. ſect. 3. aphoriſ. 2. quintanę, ſeptimanę, nonanæ dicuntur, fieri *Feb. 5. 7. 9.* poſſe putant, præſertim cum ea pituita & pauca & multum craſſa fuerit. Neque præterea eſſe quintum aut ſeptimum genus humoris introducendum, quemadmodum Galeno videtur. Febris quartana ſiue primum & per ſe prehendat, ſiue febribus erraticis & continuis ſuccedat, mitiſſima eſſe Galeno dicitur, verum propter conſequentia ſymptomata, vt hydropem tumorem lienis periculoſa *Symptomatia.* eſt. Cuius cauſæ & ſigna fuſiſſime explicantur à Galeno lib. 1. ad Glauconem, & li. 2. de Criſibus,

ſibus, quibus diligenter perſpectis curatio ſuſcipi debet. Quæ ſi propter naturam humoris craſſi & frigidi & naturæ & arti minime obſequentis, valde ſit difficilis, tum propter conſtitutionem aëris, qua inuadere conſueuit, tamen eius profligandæ ſpes maxima eſſe poterit, ſi his primo loco, quæ humorem pręparāt vtaris: deinde remediis vacuantibus. Tertio loco his quæ lieni proſpiciant.

Quæ ad parādum humorem à medicis deſcribuntur, duorum ſunt generum. Quædam enim ſunt clementia, alia vehementiora. Clementibus initio locus eſſe debet, propterea quod, vt eſt apud Galenum lib. I. ad Glauconem, vſu vehementer tenuantium & incidentium febris exacerbatur, ſæpéque numeratur. Itaque initio vtendum eſt oxymelite ſimplici, ſyrupo capilli veneris, de cichoreo compoſito ſiue rhubarbaro, de ſcolopendria, de fumo terræ diſſolutis, in decocto bugloſſi borragin. radicibus petro fœniculi, hydromelite. Ab his ad ſyrupum de hyſopo, de byzantiis, de epithymo & apozemata progrediendum, quæ fere conſtant radicibus quinque aperientibus, polipodio, radice tamariſcis, fraxini, ſcordii capparis herbis hyſopo, betonica, ſcolopendra, agrimonia, origano, calamento bugloſſo, borragine, fumaria, mercuriali, thymo, epithymo, ſtechade, chamedri, chamepiti, ſummittabus, lupuli, ſeminibus carthami, fœniculi, aniſi, meloaum, cuſcutæ capparibus.

Curatio

ſatis expertibus & ſimilibus, floribus geniſtæ borraginis, bugloſſi. Ex his pro vario medici conſilio aliter atque aliter mixtis fiunt apozemata, quibus interdum ſuccus bugloſſi borragini, pomorum bene olentium curtipendulorum rameticulorum & ſimilium permiſcentur.

Ex his rebus parantur ſyrupi magiſtrales foliis ſennę & agarici additis.

Alterum caput curationis complectitur remedia vacuando humori conuenientia. inter quę primum locum obtinent, caſſia catholicum ſimplex vel duplicatum, diaſene confectio hamech, diaphœnicum, folia ſennę infuſa in hydromelite, vel iuſculo pulli vel capi, cum radicibus & herbis lieni conferentibus: miſcetur epithymum, rhubarbarum & agaricus: etſi melanagoga non ſunt, locum tamen habent propterea quod humoribus crudis, pituitoſis purgandis dicata ſunt. Veteres helleboro nigro vtebantur, lapide lazuli, armeno, quorum hoc tempore vſus fere nullus eſt, quibus tamē rite paratis ſępe vſi ſumus, cum magno ægrotantium cōmodo, maximéque hellebori extracto. Cōmodum autem his vtendi tempus, erit die antecedente acceſſionem: quanquam nonnullis, & paroxiſmi dies, ad ea vſurpanda idoneus videatur quod eo die permota materia obſequentior remedio fiat.

Pilulæ in hoc affectu locum habere poſſunt ad ventriculum roborandum & multa

impuri-

impuritate exonerãdum: cuiuſmodi ſunt quę ex hyera ſimplici, aſſaieret, ex maſſa pilularũ & rhubarbaro & agarico parantur.

In eodem ſcopum clyſteres, nempe ad vacuandum humorem in hypochõdrio ſiniſtro delitcſcẽtem, à medicis valde probãtur, quod à vaſe ſplenitico humor melancholicus, in truncũ venę portæ refundatur atque ad inteſtina tranſmittatur. Clyſteres ſunto initio blandi & molles, deinde acriores, qui ex hydromelite ſimplici, vel cum herbis & radicibus incidentibus & attenuantibus parato, cõſtabunt. In qua diaphœnicum catholicum, confectio hamech, diſſolui poſſunt.

Poſtremum vacuãdi genus humoris, quod per vomitũ fit, omnibus tum veteribus Græcis tum Arabibus magnopere probatur: propterea quod à ſima parte lienis vas inſigne in ſiniſtrum ventriculum inſeritur, per quod reliquię quædam humoris in ventriculum receptę, vomitu ſi vacuentur, magnam ægro leuationẽ afferunt ſucci melancholici & multę pituitę vacuatione. Verum de opportuno ad eum excitandũ tẽpore varie à medicis diſputatur Gal. li. 1. de ther. ad Piſ. die antecedente acceſſionẽ vomitum imperat, à cibo ſumpto: ac die cõſequente ſuccũ abſynthii, atque duabus horis ante paroxiſmum theriaca ſumpta multos perſanaſſe ſcribit. Arabes vomitum excitant ante & poſt paroxiſmũ, quod quum (vt ante dictum eſt) humor calore febrili permotus ad obſequendum ſit paratior. Excita-

tur autem vomitus Galeno radice raphanidis & helleboro,quod nobis in hac re ſuſpectum eſt. Itaque erit ſatius oximelite ſimplici,in aqua hordei,vel decoctionis radic.raphani diſſoluto , atque tepide eo hauſto vomitum excitare. Paratur & ex decocto radicis azari,ſeminis atriplicis fumiterræ,raphani obſeruatis cautionibus , quæ in capite de vomitionibus explicantur. Interim dum hęc fiunt,& mutua quadam viciſſitudine commemorata remedia vſurpantur:quę vires ſuſtinēt & partibus male affectis proſpiciūt negligi non debent. Itaque tabellæ vel condita ad eam rem conuenientia vſurpanda ſunt. Probat Galenus theriacā coctionis ſignis apparētibus,ante quod tempus periculoſum eius vſum eſſe putat. Vtimur cortice citri condito , conſerua bugloſſi borraginis,anthos,ceterac,ſaluię vitę,roſarū, violarum,cichorii,theriaca,electuariis lętitię, de gemmis,aromatico roſato,triaſantalo, dia margarito calido,& cæteris huiuſmodi,vt diatrion pipereon , & dioſpolitico quæ Galeno erant familiaria.

Victus ratio eodem pertinet , quæ ad incidendum,tenuandum, humectandum,& modice refrigerandum referri debet. Itaque in iuſculis ex carne veruecina , vitulina , pullaſtro,capo cum hyſopo, bugloſſo, borragine, radicibus aperientibus incoctis parabuntur, mixtis interdum capparibus, quorum frequēs vſus cum pauco aceto & oleo per horam ante

cibum

cibum plurimum confert. Salſamenta veteribus probabantur, quorum vſus penitus exoleuit. Vinum eſto tenue, minus aqua quàm in cęteris febribus dilutum, ſiue album, ſiue giluum, aut fuluum fuerit. Hydromel vſurpari poteſt, ſiue ſimplex, ſiue cum radicibus aperientibus paratum fuerit.

Sequitur vt ratio lienis habeatur & ventriculi, qui fere in his febribus male habet. Lieni autem proſpicitur & ſumptis & admotis. Sumptis quidem remediis ante commemoratis. Admouentur olea primum, deinde linimenta, fotus poſtremò emplaſtra. In quibus omnibus inſtituendis ſiue deſcribendis perpetuò aſtringentia miſcenda ſunt, vt præcipit Galenus lib II. Method. Olea lieni familiaria ſunt, oleum de abſynthio, de capparibus, camomillę, amygdalarum vtrumque, liliorum, irinum, de cheiri, horũ duobus, tribuſve mixtis ſimul, illinitur pars affecta: atque mixta cera fit interdum linimentum: cuius vis augetur additis mucilaginibus ſeminum lini, fœnugręci, altheæ, extractis in aqua hyſopi, vel decocto aliquo incidente, aperiente. Additur ammoniacũ bdelliũ, potiſſimũ vbi duritiei nonnulla eſt coniectura, quæ in aceto acerrimo ſucco rutæ, oxymelite ſimplici, ſcillitico diſſoluuntur. Interdum miſcentur adipes anſeris, capi: medullę ceruinæ, vitulina, vbi potiſſimũ remolliendi conſilium ſuſcipitur. Quemadmodum vbi eſt digerendũ, puluis radicis ireos

florentiæ, enullæ, brioniæ, ciclaminis, ceteraç, capparis, ſeminis, rutę, agni caſti. Ex his várię formulę linimentorũ effingi poſſunt. Fotibus lien obſtructus, aut diſtẽtus induratuſve magnopere iuuatur. Qui ad liberanda obſtructa valẽt, conſtãt radicibus ireos, brionię, enullæ campanæ, polipodii, petroſelini, aſparagi, fœniculi, abſynthio, maiorana, menta, betonica, origano, calamento, ruta ceterach, bugloſſo, borragine. Semine aniſi, fœniculi, chamædri, chamæpyti, praſſii dauci, agni caſti, floribus chamomillę, anethi, anthos, hyperici, ſtęchados. Horum nonnulla in aqua & vino incoquuntur, ac mixto tandem aceto fotus paratur. Nam in vehementibus obſtructionibus lienis, acetum vehementer probatur Galeno lib. 5. cap. 12. de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Cuius incidendi, tenuandi, & penetrandi facultas geminetur ſi in eo ſcilicet igniti & candentes extinguantur. Quòd ſi lien durior euaſerit fotus inſtituũtur ex malua, biſmalua, parietaria, violaria, ſenecione, tapſo barbato, ſemine lini, fœnugræci, foliis hederę, leucoii, peucedano, & nonnullis ante explicatis ſimplicibus.

Materialia decocti cõtuſa ac per ſetaceum tranſmiſſa ad effingendum cataplaſma valent additis bdellio, ammoniaco, adipibus, medullis, oleis ad remolliendum comparatis, quibus farinę lupinorũ, ciceris permiſceri poſſũt. Ab his ad emplaſtra veniendũ eſt, quę emolliẽdi

vim obtinent: diachylon e mucilaginibus, ceratum ezipatum, philagrii, vel e linimẽtis ante paratis cera ſufficienti addita, emplaſtra effinguntur. Vbi verò eſt conſiliũ incidendi magis, quàm remolliẽdi, diachylon ireatũ, & emplaſtrũ de meliloto ſimul permiſcẽtur, additis pulueribus ſimpliciũ ante cõmemoratorum. Ventriculo imbecillo conſulitur oleis, linimentis & fotibus antea deſcriptis Quòd attinet ad ea, quę toti metaphreno illinuntur initio paroxiſmi ad moleſtiã horroris adimẽdã, ea interdum tutò poſſunt vſurpari. Cuiuſmodi ſunt oleũ rutaceũ, irinum, chamomillæ: titiones vino extincti in hanc rem & ſcapuli pedibus admouẽtur. Sortilegis & cætera quę à vulgò temere vſurpantur, à medicis repudiãtur. à quibus tamen quę vehemẽter timorem incutiunt & lętitiam ſummam adferunt, non improbantur: quòd his ſublatã febrem quartanam obſeruarunt: vt à Liuio ſcribitur de Fabio Maximo, qui in bello contra regem Allobrogum ſuſcepto prę nimio timore à quartana liberatus eſt.

Venæ ſectio, quartana affectos plurimum iuuat, vt teſtatur Galenus ad Glauconem lib. 1, eáque vel baſilicę ſiniſtræ, vel medianę, ſatis magno foramine pertuſa, ea cautione, quę eo loco deſcribitur: vt ſi ſanguis flauus & rubicundus effluit, ſiſtatur: ſin craſſus & ferulentus, tantum detrahatur, quantum & morbi magnitudo & vires poſtulare videbuntur.

Prodeſt etiam interdum & baſilicã dextram aperire, vbi intemperie calida affecti hepatis, vrinę rubentes, coniecturam aliquã afferunt.

De balneis & diureticis ita à Galeno præcipitur frictiones & ambulationes illis eſſe commodas, balnea verò minus probat: à quibus non eſſe arcendos putat, apparentibus ſignis coctionis, vt ante deſcriptum eſt. Idem plane iudicium de ſudores mouentibus.

Quartana continua admodum rara eſt, propter humoris melancholici naturam, valde ad putrendum ineptam. Quæ ſi aliquando ægrum inuaſerit, iiſdem remediis procurabitur quæ ſunt in capite de febre quartana explicata.

## DE HECTICA FEBRE.

Hectica ſpecies.

*Hectica febris* ab ἕξει i. habitu corporis quem occupat, appellata à principio ad finem vſque vnica conſtat acceſſione, quę interdum à cibo magis ſe prodit. Huius tria ſunt genera. Hectica tantum, media, & maraſmodes, à varia inſiti in partibus ſolidis humoris affectione ſumpta. Eius enim in corde & cæteris partibus feruor primum genus conſtituit, cui ſi accedat humoris primigenii iactura, media conſtituitur, vbi verò vſque adeò calor in partes ſolidas egit, vt maxima de humido diminutio facta fuerit maraſmodes euadit.

Hæc autem tria genera, non tam diuerſas ſpecies, quàm vnius & eiuſdem febris diuerſa tempora oſtendunt. Quæ enim hectica tantum dicitur, eſt principium & incrementum: media, ſtatus: maraſmodes, declinatio: non ad ad ſalutem, ſed ad interitum. vbi etiam humiditas natiua partium ſolidarum abſumpta eſt, nullis artis remediis in integrum reſtitui poteſt: neque vllum à medicis de ea procuranda, ſed de vita producenda conſilium initur, vt docet Gal. lib. 10. Method.

Cognitis hecticæ febris cauſis & ſignis, quæ ampliſſime à Galeno li. 1. de febrium differentiis: & lib. 10. Metho. explicantur, primę & medię hecticæ curatio commodiſſime ſuſcipitur: ſi prius à medico proſpiciatur, ſitne primaria febris, an febris ſymptomatica. Propterea quod remedia ad febrem hecticam extirpandam vix reperias, niſi prius primarię affectioni, vnde naſcitur hectica, conuenientibus remediis proſpexeris. Hac ratione conſilium de hectica ſimplici curanda ſuſcipiendū eſt: quòd in duobus capitibus verſatur, ſumptis & admotis: hiſque refrigerantibus & humectantibus: ex quibus quę frigida ſunt, vt celerius corpus immutant, ita periculoſius vſurpantur. Contra humectantia, ad immutādum corpus multo tempore indigent & omni vacant periculo. In his quę ſumuntur, primum locum obtinet, aër modice frigidus, qui ſi deſit, arte parandus, aqua frigida aſperſa, roſis Curatio

plurimis humi fuſis,vitiũ capreolis, prohibita hominum turba. Aër arte noſtra refrigeratus inſpiratione attractus, ad reſtinguendum cordis feruorem plurimum valebit. Non autem is,qui ægrum contingit, à quo propter denſatam cutim, indéque prohibitum fuliginoſorum excrementorum effluuium, febris ingraueſcit. Secundus locus, cibis medicatis coctu facilibus nutrientibus atque minime glutinoſis & excrementitiis, quibus, vbi vires naturales valent, tutò vti poſſis. Vbi verò prę nimia partium principum ariditate imbecilliores euaſerunt, tum coctu facilioribus vtendum. Cõferunt igitur iuſcula ex carnibus vitulinis, gallina, capo, pipione, pulluſtro cum herbis humectantibus & refrigerantibus parata. Succus ex his expreſſus, & quæ vulgò conſumata appellantur, diſtillata in diplomate ex iiſdem carnibus & perdicibus confecta eodem pertinent marci panes, gelatinę, & quæ ex teſtudinis carne cancrorum fluuiatilium, limacum parari à medicis conſueuerunt.

Vini abſtinentia ſi vires ferant, eſt ſalutaris: atque eius loco aqua hordei, hydroſachar, aqua infuſionis liquiritiæ, ptiſana cum paſſulis, hordeo, pauca liquiritia parata. Quòd ſi virium imbecillitas id non ferat, vino tenui aqua cocta, multum diluto, vtẽdum eſt in paſtu. Cęteris à paſtu horis, ad mitigandum febrile incendium, commodus eſt vſus iulebi violati, cum triplo aquæ hordeaceæ, ſy-

rupi nenupharini, iulebi roſati: in his quæ ſumuntur, non meminit medicamentorum purgantium Galenus, quæ tamen ſalubriter vſurpari poſſunt. Nam quum propter alienum calorem ventriculus & hepate minus belle, ſuo officio, in coquendo cibo, fungantur: accidit, vt maxima impuritas in primis venis colligatur, niſi ei purgandæ medicamentis blandioribus cõſulatur. Itaque caſſia, manna, catholicum interdũ cum rhubarbaro iunctum, aut eius infuſione, pro vario medici cõſilio à medicis probantur. Quemadmodum & clyſteres ad refrigerandum & humectandum comparati. Interdum etiam ad nutriendum. condita refrigerantia ventriculo & hepati robur addentia prętermitti non debent. Cuiuſmodi ſunt, quæ parantur ex conſerua roſarum, cichorii, nenupharis, bugloſſi, borraginis, puluere electuarii, diamargariti frigidi, triaſantali, abbatis, margaritis, lapidibus precioſis ante cõmemoratis. Hordeata cũ decocto capi iuuenculi parata, vel cui caro capi minutim cõſiſa, immixta ſit magni eſt mométi ad corpus nutriendum. Quemadmodũ & lac muliebre, aſininum, caprinum, quorum omnium à muliebri, præſtantiſſimum eſt aſininum. Recens ex vberibus ſugatur, vel inducta in cubiculum aſina, nullo fere tempore interpoſito, ab ægro abſorbeatur. In cuius vſu ea cautio ſeruanda eſt, quæ deſcribitur à Galeno lib. 10. Meth. violati cum oxyſacchare interdum iuncti, ſy-

Vt ſi nedorulentus ructus cõſequatur, vel pulſus debilior euadat, abſtineamus eo: ſin nulla noxa, tum eo cum ſaccharo vel melle vtendũ eſt. Sanguinem hominis ſani quidã in hoc affectu vſurpant, cui alimenta antea inſtituta non cedant: ſed quia inhumanum & crudele haberi poſſet, eo abſtinendum eſt.

Alterum caput complectitur quę corpori admouentur: quæ duorum ſunt generum. vnum quidem toti corpori conuenit, alterum alicui eius parti. Prioris generis ſunt balnea, linimenta & olea, quæ toti corpori à balneo illinuntur. Balnei quatuor partes conſtituit Galenus: primam laconicum, alteram lauacrum, ſeu aquę calidæ balneum quòd calidarium appellãt: tertiam balneum aquę frigidę, poſtremum ſudatorium.

Primæ duę partes balnei, etſi propter calorem minus videntur hectico conuenire, tamen ad apparandũ corpus tertio balneo plurimum conferunt, & ad totum aquæ frigidæ vſum, cuius frigus, à partibus antecedentibus balnei concalfactis refringitur. Deinde hectici corpus ſuperioribus balnei partibus rarefactum, aquę frigidę vim facilius admittit. Tertiæ partis balnei vſus valde periculoſus, vbi corpus in febrem maraſmodem incidit. Verũ ſatius eſt tentare anceps remediũ quàm ægrum certo exitio relinquere. Hiſce balnei vtendi tempus commodum, definitur tribus aut quatuor à cibo aſſũpto horis, vbi in ventriculo

triculo & hepate concoctio eſt abſoluta. A balneo æger modice fricandus detergenduſque eſt, atque oleo roſaceo, violaceo, nenupharino, vnguento reſumptiuo, butyro in aqua roſarum loto perungendus, tum ad refrigerandum, tum ad prohibendum humiditatis receptę effluuium. Poſterioris generis, quæ corpori admouentur ſunt epithemata, olea commemorata, cerata quæ cordi admouētur, Itaque oleis ante deſcriptis regio cordis perungetur, vitatis vehementer adſtringentibus, quę thoraci appoſita difficiliorē reddunt reſpirationem. Ex iiſdem cum mucilagine ſeminis pſilii extracta in aqua roſarum, cum cera linimentum parari poterit. Singulare exiſtimat Galenus ſuū ceratum refrigerans cordi refrigerando, quod ſubinde commutādum cenſet, ne concalfactum, cordis incendium adaugeat. Cataplaſmata in eandem rem parabuntur ex hordei, fabarum farina ſubacta cum ſucco lactucę portulacæ.

Epithemata probat Galenus ex ſucco ſemperuiui, lactucę, omphacii, in quibus inculcatum linteolum cordi admoueatur. Parari etiā poſſunt ex aquis roſarū violariæ, lactucæ, nenupharis, pauco vino, aceto, aqua bugloſſi, borraginis, ſcabioſæ, cum quibus trochiſci de camphora diſſoluantur, lignum aloës ſantala omnia. Renes & totum metaphrenum, oxycrato oxichodino & oleis ante commemoratis refrigerantibus illini poſſunt.

## DE SYNOCHO.

*Quid Synochus*

QVid *ſynochus* febris, quot eius genera, quę ſigna & cauſæ explicantur à Galeno lib. 9. Meth. & lib. 1. de criſibus, quibus diligenter à medico cognitis, vtriuſque curatio explicanda eſt. ac primum eius quæ expers eſt putredinis, cuius curandæ conſilium Galenus complectitur duobus generibus remediorum, venę ſectione & aquæ frigidę potione, venæ ſectionem probat ad animi vſque deliquium celebratam. Verum hoc tempore maluimus venæ ſectionem in plures vices partiri, quàm in eius conſilio ſequendo, ægro larga ſanguinis miſſione, periculum creare. Hæc antequam à medico imperetur, non ſolum obſeruandæ ſunt cautiones, quas docet lib. 9. Metho. med. Verum etiam clyſteres blandi & medicamenta purgantia blanda, vt caſſia, catholicum, ſyrupus infuſionis roſarum recentium, roſarum pallidarum pręſcibi poſſunt: quemadmodum & rhubarbari infuſio in decocto conueniente facta. Fieri enim non poteſt quin cum illo ſummo corporis incendio impuritas quædam coniuncta ſit, quæ ſi abeſſet, nonnunquam blandorum medicamentorũ vſus neceſſarius.

*Curatio*

In altero genere remedii, nempe aquæ frigidæ potione, eâque liberali, plurimum ſpei collocat Gale. ſi obſeruentur cautiones quæ ab eodem explicantur. verum quum ſit difficilis harum conditionum obſeruatio & aquæ frigidæ occurſus quam plurimos læſerit, vt ipſe-

met Galenus teſtatur eo ſæpe neglecto reme dio aliis tutiorib⁹ vtimur, oxymellite Galeni interdũ cum aceto ſolo, interdum ſucco limo num parato oxyſaccharo acetoſo ſyrupo ſim plici & febrem remediis humectãtibus & refrigerantibus, vt capite de febre tertiana exquiſita, explicata ſunt: nempe apozèmatis, & victus ratione iiſdẽ facultatibus prædita. Neque verò his ad extinguendum incendium vtendum eſt, verum etiam epithematis cordis regioni & hepatis admouendis: oleis refrigerantibus & humectantibus, & linimentis toti metaphreno illitis, quod vicinitate vaſorum magnorum in quibus ſanguis incaleſcit, vehe menter incaleſcat atque ab eo refrigerato, conſecutione quadam vicinæ partes refrigerentur. Quæ ad vires ſuſtentandas valent, locum habere poſſunt: ſiquidem imbecillę præ nimio calore fuerint, de quibus ſuperioribus capitibus diſputandum eſt.

Alterum genus ſynochi cum putredine coniuncti iiſdem plane remediis profligari ſo let, quod quantò ſuperiore eſt vehementius & periculoſius, tantò maiore ſtudio. Curatio eius à perito medico ſuſcipi debet: quę Galeno non videtur alia eſſe, quàm tertianę continuę, propterea quòd exiſtimat putrentem ſanguinem in bilem flauã degenerare, eáque ſanguinis mutatione ſynechin bilioſam fieri, vt ante explicatum eſt. Quare in ea curanda plane eadem remedia vſurpanda ſunt.

Quòd ſi à Galeni ſententia diſcedens cum

Arabibus ſynochũ putrem in aliud genus febris non degenerãtem ſtatuas, quòd primum ſera humorum putreant ac deinde ſanguinis partes ad putrendum magis paratę: tum remedia inſtituenda ſunt, quę putrem humorem vacuent, & quę impediant ne noua fiat putredo.

Putri ſanguini vacuando conueniunt venę ſectio & purgatio. Venę ſectio ſemel atque iterum, vel etiam ſæpius iterari poteſt, ſi vires ferre poſſint, vt monet Galenus libro nono Metho. Purgatio catholica conuenire videtur, cum omnes humores putreant, & potiſſimum cholagoga & phlegmagoga, quòd hæ ſanguinis partes cęteris facilius putreant. Itaque ex catalogo ſyruporum medicamentorum & compoſitorum ad eandem rem pertinentium ſeligenda ſunt, quę his humoribus vacuandis conueniunt, de quibus ſępe antea diſputatum eſt. Ante quorum vſum ſyrupi apozemata refrigerantia & leniter aperientia conferent. Nam liberalis obſtructionibus ne noua putredo ſuboriatur præpedient, & humorẽ ipſum apparebunt: quorũ vſus & à purgatione repeti debet, vt vtriuſque remedii mutua ſit viciſſitudo. De his quę vires recreant epithematis cordi adhibẽdis oleis & linimentis, lumbis & renibus illinendis, nihil aliud pręcipi poteſt, quàm quòd ſuperius de his diſputatum eſt.

DE

## DE FEBRE PETSILENTE.

PEſtilentis febris duo ſunt genera, vnũ quidem ſimplex, omnis plane putredinis expers, quæ febrium putridarum cauſa proxima poſita eſt. Nam ſolius qualitatis virulentæ cõtagione, quę ſpiritus primum deinde humores inficit, moleſtum eſt. Alterum genus ex putredine humorum naſcitur, cui venenata quędam aura adiuncta eſt, neque enim humores putrentes eam pariunt, ſed illis cohęrens inexplicabilis quędam qualitas ab aëre ambiente in corpus inducta. *Quid peſtil. febr.*

Prius genus oſtendunt, calor totius corporis mitis, vrinę naturalibus ſimiles, pulſus languidus, paruus, corporis vniuerſi iactatio, deliquium animi, nauſea vomitus, bubones interdum antecedentes, interdum conſequentes, vtrique generi communes. *Signa*

Poſterius genus pręter commemorata ſigna alia habet putribus febribus communia, dolorem capitis, corporis totius incendium, quod interdum magis intrinſecus quàm extrinſecus ſe prodit, delirium vrinas interdum turbidas. Vtrunque genus ex inſpiratu aëris, vel per diaſtolas arteriarum attractu ortum ducit, quę qualitatibus manifeſtis adiuuatur. Nam calidioribus aëris conſtitutionibus & humidioribus corpora peſtilentię ſunt magis opportuna.

Aëris contagionem adiuuat corporis propenſio, vt docet Galenus libro primo de fe-

bribus. Quę enim corpora obſtruuntur vel abſtringuntur, vt non ſit libera humorum in corpore ventilatio, ea facile in febrem peſtilentem, incidunt. Ea denique quæ magnam humorũ colluuiem intemperati victus ſibi in corpore accumularunt.

3 Aëris autem contagio proficiſcitur ex cadaueribus non inhumatis, aquis ſtagnãtibus, ventis ex loco aliquo putrente halitum putrem importantibus, aut cœleſti quadam qualitate prorſus nobis incognita, per vniuerſum aërem diffuſa.

Exiſtunt enim morborum popularium ſemina in ipſo aëre. quæ Arabes ab ipſo cœlo demitti exiſtimarunt. Vtriuſque autem generis cum magna ſit vis, in vita noſtra oppugnãda, eius præcauendi imminentis & præſentis propellendi ratio diligens haberi debet. Pręcauebitur, ſi aërem contagioſum immutaueris & corpus ad obluctandum venenatæ qualitati aëris comparaueris. Itaque quærendus primum eſt aër ſalutaris, qualis à Galeno deſcribitur libro primo ſanitatis tuendæ, eo vitato, qui contagione vitiatus eſt. Qui ſi propter vitæ inſtitutum immutari non poteſt, immutabitur accenſis ignibus priuatim ex lignis communibus, aut odoratis, vt iunipero, roremarino, ſuffumigiis paratis ex ligno aloës ſantalis, benioyn, ſtycare calaminta, foliis lauri, eiuſdem baccis & iuniperi, maiorana cæteris denique herbarum, quæ reddunt ſua-

uem

uem quendam odorem quibus & veſtes ſuffumigabimus Verum in inſtituendis his ſuffumigiis habenda eſt ratio aëris , qui ſi calidior euaſerit,non ita calidis vtendum eſt.

Præter hęc remedia ad immutandum aërem conuenientia: lotiones manuum ex vino odorato,aceto,aqua roſarum recreandis viribus & depellendę contagioni plurimum conferunt: tum poma odorata naribus ſæpe admota,cuiuſmodi ſunt,quę parari ſolēt ex ambra, moſco, ciuetta, benioyn,ſtyrace,labdano,iride florentina,ligno aloës, ſantalis,maiorana,cæteris denique ex quibus pulueres odorati fiunt:quæ ditioribus vſurpātur. Pauperiores nodulum parant ex roremarino,thymo,maiorana , floribus cardiacis, lauandulæ, quam in aceto macerant , atque naribus dum per publicas vias iter faciunt admonent ſæpiſſime. Alii radicem enulæ campanæ in aceto maceratam in eundem vſum cicumferunt.

Corpus ad contagioſo aëri reſiſtendum comparabis ſi tam ſtudioſe vitam tuam inſtitneris,vt in victus ratione nullo modo delinquas. Sic enim fiet vt nulla in corpore cruditas colligatur , impeditáque corporis obſtructione vel adſtrictione libere vniuerſum corpus ventiletur.

Quòd ſi accidat, vt corpus propter neglectam victus rationem excrementis abundet, aut plethora diſtendantur vaſa,tum de corpore purgando cogitandum eſt, & plenitudine,

ſectione venæ adiuuanda.

Purgationes in hanc rem cōueniunt blande, ex caſſia, rhubarb. catholi. diaphœnico, & medicamentis, quę peccanti in corpore humori conuenire videbuntur, ſiue in pilulis, ſiue in potionibus exhibeantur: non prętermiſſis clyſteribus, ad pręcautionem plurimū conferentibus. Catapotia rufi, quę vulgò cōmunes appellantur, in hac re vehementer ab omnibus medicis valde probantur: quibus pulueres rerum contra venena pugnantium permiſcentur, vt boli armeni, terræ ſigillatæ, tormentillę, diptami, ſmaragdi & reliquorum lapidum precioſorum.

Neque verò ſatis eſt, diligentem victus rationem inſtituere, aut vitia ab ea emendare, verum etiam muniendū eſt corpus certis quibuſdā antidotis, ne dum imprudens cum contagioſis hominibus verſaris, hac lue peſtifera inficiaris. Itaque parabitur opiata ex conſeruis nenupharis, bugloſſi, borraginis, roſarum, cortice citri condito, mitridatio, theriaca, pulueribus cardiacis, ambra, raſura heboris, vnicornis, cornu cerui, oſſe de corde cerui, margaritis, cæteriſque lapidibus precioſis, pulueribus electuarii, diamargariti frigidi, triaſantali, & horum nonnulla ſyrupis de limonibus vel oxyſaccharo excepta, quotidie ad iuglandis magnitudinem vſurpantur.

Pauperiobus, radix enullę campanę in aceto macerata, eáque mane maſticata: vel certe

illa

illa celebris antidotis mithridatis omniũ doctiſſimorum medicorum iudicio vehementer comprobata. quæ conſtat ficu, cui diuiſo nucleus nucis imponitur,cum aliquot foliis rutę & granis ſalis,mane ante cibum quatuor horis ſumenda. Aliis ſolenne eſt interiorem nucem in aceto macerare, eámque mane deuorare. Aliis allium, quod theriacum ruſticorum appellant.

Præſentis peſtis depulſio, etſi valde ſit difficilis, tum propter miniſtrorum, qui ægro opitulentur penuriam, tum morbi ipſius κακοήθειαν omnibus ſuſpectam: tamen certis remediorum generibus iuuari poſſunt,& ſæpe vbi in tempore conſultum eſt,ab hac contagione vindicari.

Simplex peſtis quæ cum putredine non eſt coniuncta, percurari poteſt ſumptis & admotis,qualitate manifeſta & occulta quadã,malignam vim oppugnantibus. Sumuntur potiones cardiacę,in præcautione antea deſcripta & cætera electuaria quę hoc capite explicata ſunt. Syrupi refrigerantes, cuiuſmodi ſunt,de ſucco acetoſæ,oxyſaccharum,de limonibus,de omphacio, de ribes potiſſimum vbi vomitus moleſtus eſt, iuleb violatũ,roſatum, quę decocto herbarũ & ſeminum cardiocorũ interdum diſſoluuntur,interdum in aqua hordei,decoctionis multa acetoſæ, in qua multa acetoſa decocta fuerit.

Medicamenta purgantia raró vſurpantur:

locus tamen eſſe poteſt, caſſiæ, cathol. clyſteribus ad feces ſubducẽdas mixtis perpetuò alexipharmacis.

Extrinſecus admouentur epithemata cordi roborando accommoda, quæ parantur ex aqua cardui benedicti, morſus diaboli, acetoſæ, calendulæ, ſcabioſę, meliſſę, bugloſſi, boraginis vino pauco bene odoro, aceto: in quibus pulueres cardiaci diſſoluũtur vt diamargarit. frig. ſantalorum omnium, puluis ligni aloes.

Quòd ſi ventriculus vſque adeò ſit imbecillus præ vomitu, vt quæ ingeruntur continere nequeat, tum illi conſulendum eſt fotu, linimentis, ſcutis antea explicatis.

Secundum genus peſtil. febr. *Alterum genus* febris quod adiunctam habet putredinem iiſdem remediis procuratur, quæ in curatione febrium putridarum deſcripta ſunt. Nam quum ea, vel quotidiana, vel

Curatio tertiana, vel quartana ſit, quę remedia iis profligandis conueniunt, eadem & peſtilenti febri putridæ conferent, modò tantum ſtudii colloces in oppugnanda virulenta qualitate peſtis autore quantum in putredine detrahenda, in qua multo blandioribus pharmacis vtendum, quàm in cęteris eius generis febribus putridis, quòd natura vehementer à contagioſa qualitate afficiatur.

Venæ ſectio in hac locum habet eius potiſſimum, quę proxima eſt loco affecto buboni: vt ſi inguem inuaſerit, ſaphena aperiatur, ſi a-

xillam

baſilica eiuſdem lateris. Quæ quidem in priore febris genere omnibus medicis ſuſpecta eſt, quòd ea natura debilitata facile à venenata qualitate opprimatur. Quæ admouentur cum iis quæ ſuperius explicata ſunt.

Curationis pars poſtrema in bubone foras trahendo poſita eſt, quod moliemur oleis calidis, cucurbitulis, columbis, catellis recẽs per medium ſectis & parti admotis, cataplaſmatis, quale eſt illud celebre, quod paratur ex cæpe cocto cum theriaca ſub cineribus, vel quod paratur ex diachylo ireato, puluere cantharidum cum oleo ſcorpionum, cui oleo tantum tribuitur, vt nonnulli eo illiti quantumuis ſæuam euitarint peſtilentiam, vt ſcribitur in ſcholiaſe Meſues capite de oleo ſcorpionum: ab his ad cauteria actualia veniendum. Verum in horum remediorum vſu in principio vehementioribus non eſt vtendum, ne vires concidant. quòd ſi periculum in mora fuerit, tum iis quæ vehementer virus foras reuocent vtendum erit.

## DE COMPOSITIS FEBR.

EXpoſitis ſingularium febrium curationibus proximum eſt, vt de cõpoſitis aliquid dicatur: quæ quoniam iiſdem remediis procurantur quę ſuperius deſcripta ſunt, idcirco earum explicatio ſeparata non eſt neceſſaria. Si qua enim febris ex quotidiana, continua, & Feb. compoſita

tertiana intermittente conflatur, vt hemitritæus, in ea curanda id conſilium ſequendum eſt, quod capite de febre tertiana intermittente, & quotidiana continua antea explicatum eſt. Idem de cæteris implicatis & confuſis febribus ſentiendum eſt.

*Curatio*

Poſtremum illud eſt totius curationis caput, vt habeatur ratio ſymptomatum, quæ vires deiiciunt, aut morbum ipſum adaugent: cuiuſmodi ſunt vigilię immoderatę, ſomnus comatodes, vacuatio immoderata ſanguinis, ſudoris, aut vomitus, vel per aluum facta excretio ſymptomatica, dolores capitis vehemẽtes, ſitis intolerabilis, icterus, ſyncope. Quæ interdum vſque adeò ægro moleſta ſunt, vt neglecta febre, medico neceſſariò, in eorum amotione ſit decumbendum. Itaque ſi vigiliæ in multos dies productę vires deiiciant & morbum foueãt, primo quoque tempore, de iis mitigandis conſilium ſuſcipi debet. Vniuerſum autem conſilium poſitum eſt in remediis refrigerantibus & humectantibus, tam ſumptis quàm admotis.

Sumitur ſyrupi vialotus, nenupharinus, roſarum ſiccarum, de papauere, diacodium, qui interdum cum cochleari ſumuntur, vbi fluxio in fauces decumbit: interdum verò diſſoluuntur in decocto lactucarum, portulacæ, paſſularum, dactillorum, florum violarum, nenupharis, ſeminum frigidorum, atque ſomni tempore & media nocte exhibentur. Eodem referuntur

feruntur hordeata cum decocto lactucarum parata, admixto ſemine papaueris albi.

Extrinſecus admouentur fronti & temporibus aquæ deſtillatę nenupharis, lactucę violarum, ſolani, betonicę, acetoſæ vulgaris, lac nutricis: horũ duobus tribuſve mixtis & cum modico aceto, inculcato linteolo, fronti & tẽporibus admouentur.

Aliquando albumen oui vnius permiſcetur, quorum loco folia lactucę, vitium eidem parti admouentur, & folia flores violarum & roſarum recentium. Ab his ad olea progrediendum eſt: cuius generis ſunt violatum, roſaceum, nenupharinum, papauerinum, quæ in aceto & aqua roſarum lauantur aut citra lotionẽ vſurpantur. Ex oleo roſaceo cum pauco aceto fit oxichodinum, ſomno conciliando remedium valde commodum, ex quo addita mucilagine ſeminis pſilii, fit vehementius frontale, & aquis refrigerãtibus. Ad eam rem parantur frontalia ſicca ex floribus violarum nenupharis, roſarum, ſummitatibus anethi, ſemine lactucæ, papaueris, portulacę, radice mandragoræ, ex quibus ſimul leuiuſcule contuſis & inter duas telas receptis fit frontale, quod aqua betonicæ lactucæ, roſarum violarum vaporatur, antequam admoueatur.

Ex iiſdem rebus in puluerem comminutis additis oleis refrigerantibus, populeo, cera ſufficienti paratur maſſa emplaſtri pro fronte & tẽporibus. Cataplaſmatis eadem vis ineſt,

quę parantur ex carne pomorũ ſub cineribus coctorũ, & cum aqua roſarum, betonicę nenupharis, aceto inalaxata. & inter telas poſita fronti & temporibus admouentur. Eodem pertinet cataplaſma quod ex farina hordei, cum ſucco lactucę, portulacę ſubacta. Quòd ſi iis remediis vigilię retundi non poſſunt, raſum ſinciput, oxyrrhodino perfundi poteſt.

Neque verò minor vis ineſſe videtur balneis, quæ ad lotiones pedum parantur ex foliis vitis, ſalicis, lactucę violarię, floribus camomillę, anethi, his enim non ſolum acres humores vigilium cauſæ reuelluntur, verumetiam per quandam frigiditatis & humiditatis diſtributionem conciliatur ſomnus. Horum balneorum portio nonnulla ſeruari poteſt, in aqua tepida linteolũ madefactum immergitur & naribus admouetur, vapores enim hoc modo humidi in caput recipiuntur, atque ſomnum adferunt.

De his quæ cordi admouentur nulla eſt apud veteres præceptio. Imò verò Galenus libro de locis affectis, ſoli fronti admouẽda eſſe putat, quæ ad ſomnum inducendum valẽt: tamen vſu epithematum frigidorum & humidorum cordi admotorum ægri ad ſomnũ capiendum propenſiores redduntur: dum enim mitior calor cordis redditur eorum vſu, cerebrum ipſum vaporibus acribus minus feritur: quare his inter ſomnifera locus eſſe poteſt. Horum ſomniferorũ vſus rectus quidẽ modus

dus eſſe libet: nam ſi immodice his quidam vtatur, veternum & graues alios morbos inuehit. Somnus comatodés interdum fit, vel propter immoderatas capitis & frontis perfuſiones ex rebus frigidis & humidis, vel quòd pituita frigida in cerebro contenta ſit, quæ ſoporis eſt cauſa. Itaque vbi ſomnus eiuſdem ægrum inuaſerit, de excitando ægro cogitandum, ne grauior aliquis affectus conſequatur. Excitabitur autem clyſteribus acrioribus, vinculis in articulis brachiorum, crurũ & pedum: frictionibus manuum & pedum linteolis durioribus. earum namque partium vehementibus concuſſionibus excitatur æger, item cucurbitulis admotis ceruici, ſternutatoriis, ſacculis ſiccantibus capiti admotis, quod raſum foueri poterit lixiuio ſarmentorum, in quo herbæ cephalicæ incoctæ fuerint, ac poſt fotũ illini oleis calidis. Confectiones atque potiones cephalicæ ex aqua ſaluię, cum mithridatio, cum conſerua anthos borraginis paratæ eodem pertinent.

Tertium ſymptomata febres interdũ conſequens eſt dolor capitis, cuius magnitudo, ſi tanta fuerit, vt inde conſequatur virium deiectio, primo quoque tempore, de eo ſedando conſilium capiendum eſt, ſubductis prius diligenter omnibus cauſis, à quibus capitis dolor naſci poteſt, vt ſingulis cauſis ſua conuenientia remedia accommodentur. Itaque ſi doloris cauſę extiterint vapores acres in ce-

rebrum delati & rapti propter aluum nimis ſtrictam, blandis medicamentis & clyſteribus aluo ſolicitata, dolor ceſſabit. Quòd ſi feruor ſanguinis aut alterius humoris putrentis propter excitatos à ſe vapores, dolorem capiti attulerit, tum venæ cephalicæ aut medianæ ſectio, huic ſedando plurimum conferet, antecedēte prius leni pharmaco. Quibus remediis ſi ęgrum non iuueris, frontalia prius explicata vſurpari poſſunt. Admoueri concurbitulę ceruici, raſo capiti, catelli viui per medium ſecti, pulmones animalium recens mactatorum per ſe, vel in decocto aliquo cephalico prius immerſi, pullus gallinaceus, perfuſiones capitis & potiſſimum ſyncipitis, ex oleis humectantibus. Cataplaſmatis eodem pertinentibus, & cæteris eius generis remediis, quę capite de Cephalea ample ab autoribus deſcribūtur: vt pedum lotiones & manuum in aqua calida immerſiones.

Neque verò minus moleſta eſſe ſolet ægro ſitis vehemens, quę eſt frigidi vel humidi, vel vtriuſque appetitio, ab immodico calore per vniuerſum corpus fuſo, & ſiccitate manās: cuius etiam interdum cauſa eſt humor bilioſus in ventriculo contentus, vel ipſius ventriculi tunicis infarctus, atque tum amaror incredibilis in lingua ægro valde moleſtus ſentitur, cuius cauſa eſſe poſſint omnia quęque optima alimenta, quę amarorem quendam prę ſe ferre videntur. Ipſa denique pulmonum corruptela

ruptela ſitim aliquando parit intolerabilem. Perſpectis his ſitis immoderatę cauſis, quęrenda ſunt remedia illis profligandis conuenientia. Itaque ſi cauſam habet humorē bilioſum in ventriculo hęrentem, cholagogis medicamentis vacuanda eſt: atque ventriculi totiuſque corporis poſt purgationē, ſummo calori & ſiccitati conſultādum, his, quę vim habent humectandi & refrigerandi, cuius generis ſunt aqua hordei, ptiſana, oxymel ſimplex ſyrup de limonibus, acetoſus ſimplex oxyſaccharum, ſyr violatus, de cicho. Et apozemata quę ex herbis & radicibus eadem facultate prędītis parantur, quorum omnium tutiſſimus eſt vſus in ipſo morbi incremento, & vigore, quo tempore ſęuiſſima ſolent eſſe ſymptomata. Eius verò ſitis quæ cauſam habet pulmonis putredinem, nulla leuatio eſſe poteſt, quantumuis humectantibus & refrigerantibus eam oppugnes, ſed aëris frigidi inſpiratione, vtcunque remittēda eſt. Balnea probari ſolent ad ſitim extinguendam, contractā ex totius corporis ſiccitate & calore, quorum vtendi tēpus commodū ſupra explicatum eſt.

Linguę ſcabrities & nigror in vehementibus febribus ſępe viſuntur: nigror quidē ægro minus moleſtus, ſed tamen certū maximi incendii iudicium: originem nanque habet à fuliginoſis excrementis, per venas & arterias in linguę corpus ſpongioſum delatis, atque in eius extima ſuperficie hęrētibus. Tales ſordes

in ea gignũt, quales fumus in externa camini ſuperficie excitat, nẽpe atras, quæ & ſcabram & aridam linguam efficiunt. Et quoniam ea linguę ariditas & ſcabrities ægris moleſta eſſe ſolet, danda eſt medico opera vt ea mitigetur: mitigabitur autem his, quæ ſordes eas detergent & humidam linguam reddunt. Cuius generis eſt aqua hordei, in qua aliquid mellis roſati, vel oximellitis, vel ſyrupi violati roſati, acetoſi diſſolueris. Saccharũ violatum, quibus adduntur interdum aquæ deſtillatæ, lactucæ, nenupharis, caprifolii. Eodem pertinent noduli parati ex ſemine cydoniorũ, pſilii, melonum, lactucæ, gummi tragagantia, ſaccharo cndo, qui in aqua roſarum vel ſimili macerẽtur, hiſque lingua fricabitur. Poſſunt & ſordes detergi ſpongia leuiter aſpera, in aqua hordei immerſa, cochleari argenteo, vel aliquo inſtrumento ad id parato. Quę admouentur collo ad prohibendũ ne fuligines atrę, nigrore linguam inficiant, ea ſunt eiuſmodi, vt per ſe ægrum parũ iuuẽt, vt ſunt folia cynogloſſi, lactucę, cerophilli, & cætera quæ à mulierculis temere vſurpantur.

Reliqua ſunt ſymptomata quæ in vacuatione immoderata & in mutata qualitate poſita ſunt. Vacuatio quę febres ſequitur multiplex eſt, ſudor, vomitus, deiectiones, hæmorrhagia, quę vel fiunt morbi vi, vel ſponte naturæ. Quæ morbi vi accidit vacuatio, primo quoque tẽpore à medico remediis cõuenientibus

tibus eſt prohibenda:vt hæmorrhagia,cucurbitulis,ligaturis,venę ſectione,potionibus refrigerantibus,& aſtringentibus, cum cæteris remediis huic ſymptomati conueniẽtibus, vt ſuccino,ſiue trochiſcis de carabe, cortice oui combuſto,lapide hęmatite, bolo armenię,terra ſigillata,ſyrupo myrtino,vel ex roſis ſiccis, aut cydoniis,vel de ribes parato. Idẽ omnino pręcipitur de ſudore atque alui deiectionibus, quæ ſi accidant die critico cum ſignis coctionis,coniuncta & ab indicatorio die pręmonſtrata bono eſſe ſolent,de quibus multę extãt. apud Hippocratem pręceptiones. Quæ ſi vehementiore motu naturę immoderata euaſerint,ſiſti debent: tum enim naturæ moleſta eſſe ſolent, vt docetur apud Galenum libro de cauſis ſymptomatum vbi hunc naturæ impetum comparat his qui per locum decliuem feruntur,nec inchoatum motum ſiſtere poſſunt. Reliqui ſudores (quemadmodum alui deiectiones) ſymptomatici cohibendi ſunt potionibus refrigerantibus & abſtringentibus, oleis toti corpori illitis ſupra enumeratis, vt & emplaſtro de dactilis ſupra totum abdomem aut vnguento comitiſſę lumbis & renibus appoſitis.

Sic etiam de vomitu pręcipitur à medicis quem immoderatum reprimes ſumptis & admotis,Nam eius ſiſtendi ratio eadẽ plane eſt, quæ immodici alui fluoris, nimirum ſumptis & admotis. Sumuntur per os, quę ventricu-

lum roborãt, iuleb roſatum, ſyrupus de menta ſyrup. granatorum, oxyſaccharum, potiones cardiacę, potiſſimum vbi venenata qualitas vomitus immoderati cauſa fuerit. Potiones ex rhubarbaro partim infuſo, partim in ſubſtantia exhibitæ. Clyſteres ad motum naturæ deorſum conuertendum in vomitu, ſed in alui fluxu contra, ſcilicet ex conſtringentibus & ſiſtentibus comparati: extrinſecus admouentur prædicta olea aſtringentia, fotus ventriculum confirmantes linimenta ſimilia, frictiones molles ventriculi: denique cerata & emplaſtra de quibus antea in curatione febrium ſparſim diſputatum eſt.

Ad imitandam qualitatem pertinet *Regius morbus*, de quo copioſiſſime ab Hippocrate multa ſcribuntur, quibus oſtendit, eum ante diem ſeptimum minime eſſe ſalutarem: quanquam nonnullos commemorat in epidemiis, qui auriginoſi facti ante diem ſeptimum conualuerunt: qui verò diem ſeptimũ conſequuntur, ſi quidem criticus fuerit ſalutaris eſſe ſolet, nempe bile febris cauſa e vaſis in habitum corporis effuſa, in quo hęret, tum propter cutis denſitatem, tum propter humoris craſſitiem. Atque huius quidem regii morbi maior eſſet commoditas, ſi comitem haberet inſignem quandam euacuationem, per aluum vel nares.

Curatio In hoc tollendo vtendum eſt his quæ aperiunt ſyrupis & apozematis, & his quę ſudores

mouent,

mouent, vt impeditę vię expediantur: deinde balneis conuenientibus, cutis aperienda, craſſa bilis in ſpiraculis hærens tenuenda cuius auxiliis multos ſe à regio morbo liberaſſe ſcribit Gal. lib. 6. de locis affectis.

*Syncopæ* verò omnium ſymptomatũ grauiſſimo, (quòd frequens de medio tollat) ſubinde occurrendum. Nam niſi promptiſſime huic proſpexerimus, nihil ſubſtantię eius, qua noſtrum corpus regitur, integrum remanebit. Sed derepente, tum ſpiritum, tum calorem natiuum, tum humidum illud primigenium & radicale, ac proinde ſolidorum corporum temperamentum, quibus veluti vno vinculo, robur totius corporis continetur collabi ac diſſipari neceſſe eſt. Quæ quum à magnis ac vehementibus iiſdémque diuerſis cauſis ortũ habeat, in iis febribus acutis, quæ corpus colliquant, (quòd & in longis aliis morbis ſæpiſſime accidit: pro cauſarum diuerſitate, diuerſa erunt adhibenda remedia: ſicut à Galeno ſcriptum eſt 11. Method. & priore ad Glauconem. Nam vel à ſuccis vitioſis, aut venenata qualitate, & aëris ambientis malitia, vt in cõſtitutione peſtilentiali, aut vigiliis immoderatis, & animi motibus vehementibus, vel euacuatione immodica: aut nutrimenti deffectu & atrophia accidit. Ad quẽ virium lapſum, propter exolutum calorem protinus ſuccedit frigiditas totius corporis, & ex collapſa, ſolidorum corporum ſubſtantia, ſudor

Syncope.

συγκοπτικός & διαφορητικός, tamquam duo παθογνωμονικὰ τῆς Συγκοπῆς ſymptomata: Ad quæ & alia ſuccedunt, nempe pulſus defectio, & ſenſus motuſque priuatio.

Quum igitur alicuius humoris vitium & impuritas ſyncopes fuerit in cauſa, protinus tollenda eſt cacochymia, cathartico aliquo humori expurgando conueniente, pro partis affectæ natura in qua humor ipſe conſtiterit. Quod ſi in ventriculo, inteſtinis & viſceribus deliteſcat, tum blandis clyſteribus tum potionibus deturbenda erit materia: cholagogis ſi bilioſa, vt in tertiana ſimplici dictũ eſt: phlegmagogis ſi pituitoſa vt in quotidiana: melangogis, ſi melancholica quemadmodum in quartana ſuperius demonſtratum eſt: vel etiam horum duobus tribuſve mixtis, ac rite proportionatis, quum multiplex ac varius humor deprehenditur. Vomitus quoque à ſyncope liberat, vbi humor ventriculi orificium vellicans καρδιαλγίαν excitarit in his febribus, qualis in cholera morbo accidere ſolet iſque citandus potionibus ſupradictis erit.

Si verò ſpiritus corrumpatur, vel alteretur à venenata qualitate, ſiue interna ſit ab aliquo membro, ſiue externa, vt ab aſſumpto veneno, vel ab ambiente aëre: virus quàm longiſſime à corde reuocandum, cucurbitulis partibus externis appoſitis, frictionibus, ligaturis. Cor verò roborandum ac virus ab eo repellen-

pellendum, tum ſumptis tum admotis remediis ex herbis, & earundem ſeminibus, floribus, radicibus roſarum violarum, nenupharis, endiuiæ, oxalidis, ſcariolę, cichorii, lactucę, arnogloſſę, pentaphili, portulacę, ſucco limonum, citrii mali, cydoniorum, granatorũ, ribes, pomorũ curtipendulorum & bene olentium omphacii: ex quarum ſuccis, liquoribus, aquis diſtillatis, corticibus, ſyrupis, conſeruis & pulueribus parantur epithemata, opiatæ tabellæ, condita & ſtillatitia reſtaurãtia additis ſpeciebus & trochiſcis diarrhodi abb. diamargariti frigidi, triaſantali, de terra ſigillata, bolo armeniæ & caphura. Item lapidibus hyacintho, ſaphiro, margaritis, criſtallo, ſmaragdo, vtriſque corallis, oſſe de corde cerui, cornu vnicornis, auro quibus rite concinatis & adhibitis ſyncopæ medebitur, maxime vbi aliqua viſcerum inflammatio, vel delirium ſubeſt.

Si verò nullus ardor ingens adſit, his quę qualitate tum manifeſta tum occulta (vt in ſupradictis dici quidem poteſt) cordi robur adferunt: ſimili modo ſyncopæ occurremus, ex radicib⁹, ſeminibus, & floribus herbarũ, atque earundem aquis, ſyrupis & conſeruis bugloſſi, borrag. valerianæ, enulę campanæ, zedoariæ, galangę, cyperi, imperatorię, angelicę, ocymi meliſſę, roriſmarini, maioranę, hyperici, pulegii, calamintę, epithemata, inunctiones, epipaſmata, opiatas, pulueres, condita, tabel-

las conficiendo: additis xiloaloę, cortice citri, cinamomo aromatico, maci, gariophyllis, nuce muſcata, croco, ſpica, vtraque, moſco, ambra. Nec vino odorifero quod ſua ſubſtantia ſpiritus quam celerrime reparat. Quibus etiam appoſitiſſime addi poſſunt confectiones anarcardi alchernes, aromat. roſat confectio, ligni aloës, diamoſcum dulce diambra, etiam de gemmis, lętificans Galeni diamargaritũ calidum, diacamerõ, dianthos. Hęc omnia & antedicta, ſyncopę & ſpiritum exolutioni, à quacunque cauſa fiat, obſiſtunt, modò ipſi intemperiei contrariis qualitatibus occurratur.

Conuenient itaque eadem remedia & ſpiritus diſſipationi, quę à vigiliis, vel animi motionibus & pathematis accidit, modò ea quoque adhibeantur ad conciliandum ſomnum in vigiliis immoderatis, quę ſuperius dicta ſunt: & animo, immodicis laboribus, curis ſolicitudinibus triſtitia, mœrore, ira vel excandeſcentia fatigato ſolatia quęcunque adferemus.

Sic etiam maxime antedicta huic ſyncopes cauſę commodabunt, quæ ab immodica euacuatione & nutrimenti penuria accidit: in quibus alimentorum pręcipue habenda eſt ratio, quemadmodum & in his qui ab ipſis febribus reualeſcunt conuenientibus alimentis quàm ociſſime ſuccurrendum eſt, ne vel tarditate nimia alimenti deficiant ægri, vel ſubita &

ta & inepta ac ſupra vires ingeſta nutritione extinguantur.

His itaque optimum erit remedium, quòd vires celerrime inſtauret, vt ſunt odores grati & ſuaues rerum bene olentium, vini maluatici, hippocratici, aceti optimi aquæ roſarum, violarum, cinamomi gariophilorum, imperialis, moſci ambræ caphuræ, & cæterorum eiuſmodi, quibus tum nares, tum cor, carpus, & volæ manus illini poſſunt: quę etiam ore ſumenda erunt, & alia eius generis quę nutriēdi celeritate iuuant, & facile alterantur atque diſtribuuntur, qualia à Galeno demonſtrantur libro de Alimento facult. & cōment. Aphor. 25. lib. 2. Vt ſunt vitelli ouorum tremuli: & ſorbitiones ex conſumptis & colo traiectis carnibus gallinę, pulli gallinacei, capi perdicis, turturis, phaſianorum, pipionum & ex earundem auium carne, & veruecina in gelatinam redacta additis pulueribus, cinamomi, macis, croci, nec nō modico vini generoſi in gelatinam redacta ægrotantium collapſas vires reparabimus. Sic etiam ex ſupradictis, tum carnibus, tum pulueribus, conſeruis cardiacis & gēmis precioſis in ſupradictis aquis immerſis & natantibus deſtillationes vulgò reſtaurantes dictas conficiemus & ad hanc ſyncopes cauſam ſubmouendam & ad ipſos ægros quamcelerrime & congruentiſſime reficiendos accommodatiſſimas: quod facilius ſit refici potu, quàm cibo.

Poſtea verò ſolidiore vbi opus fuerit nutritione ad analepticen artis partem, quę conualeſcentes & à morbo elapſos reparat, paulatim augendo conuertemus, vt ægrum ſedatis ſymptomatibus & elapſis omnibus morbi temporibus, ad priſtinum vitæ ſtatum, Dei ſummi beneficio, reſtituimus: cuius prouidentia vt res omnes hominum, ita corpora gubernātur, eorumque ſanandorum remedia ægris mortalibus ſuppeditantur.

*Primi Commentarii finis.*

DE

# DE FEBRIVM CRISIBVS, COMMENTARIVS ALTER.

# DE FEBRIVM CRISIBVS.

QVanquam difficilis & obſcura ſit de Criſi tractatio; tamen quia hæc proprie ad febres,& maxime acutas pertinet: neceſſariò hanc cum febrium curatione coniungere operæpretium duximus, nequid operi defuturum videretur. Proinde mihi huius diſputationis ſeries conſtituenda venit, vt primum appellatione Chriſeos cognita, dinſtinctáque homonymia, de eius diuerſis formis dicatur. Deinde optima & laudabilis criſis conſtituatur omnibus ſuis dotibus & cicunſtantíis inſtructa. Poſtremò quibus ea ſignis præcognoſcatur & præſens percipiatur.

*Criſeos* appellatio à plebeiis hominibus nata eſt, qui cum amicos, quos inuiſebant grauiſſime torqueri & vehementer perturbari viderent, natura in ipſius morbi depulſione incumbente, ac proinde de vita periclitari, vt rei qui in iudicio verſantur, factum eſt vt id quod naturæ ſponte accidebat, criſim appellarint, & poſtea medici ſuum fecerint. *Criſis quid*

Criſis autem apud veteres medicos non ſimpliciter, ſed homonymos dicitur. Nam interdum pro qualibet cuiuſque morbi ſolutione ſumitur, ſiue is excretione aliqua inſigni, ſiue abſceſſu, ſiue coctione, aut metaſtaſei, vel quauis alia ratione ſolueretur. Alias pro ipſa perturbatione criticam excretionem vel abſceſſum antecedẽte: nonnunquam pro in-

ſigni vacuatione:poſtremo pro ipſa morbi ſubita mutatione à natura facta, quæ ſi ad ægri ſalutem referatur, optima: ei proxima quæ ad melius, cęteræ quę ad deterius, vel ad interitum tendunt, malæ iudicantur: ſed tantò deteriores, quantò magis à bona, & laudabili criſi receſſerint.

*Duo genera optimæ criſis.* At quæ bona, fida & perfecta criſis habetur, duplici genere conſtat, vno quidem per inſignẽ euacuationem: altero per abſceſſum. Prioris generis ſpecies ſunt hæmorrhagia, ſudores, vomitus, deiectiones, ſiue per vrinas ſiue per aluum, & ſputa. Poſterioris parotides, abſceſſus in articulos, & cęteras partes corporis à natura effectas ad ſuſcipienda partium nobilium excrementa, quod genus priori dignitate cedit.

*Cauſa* Vtriuſque cauſa efficiens eſt natura calore natiuo adiuta, quæ à ſe diligenter ſubactam materiam morbificã, certis ordinatiſque diebus vi & opera expultricis facultatis per locũ conuenientẽ depellit. Vnde Ariſtoteles eam immutationem vltimo capite lib. 5. Phyſic. alterationẽ naturalem appellat, eam verò quæ vi morbi fit, à natura alienam.

*Signa* Criſeos optimæ & laudabilis nunc conſtitutę hę ſunt dotes, primum quidem debet eſſe cum ſignis concoctionis coniuncta, deinde die iudice pręmonſtrari; poſtremo motus naturę antea prænunciatus die critico fieri per locum conuenientem: ſecus ſi acciderit, aliquid

quid in ea deſiderabitur. Itaque dicendum erit primo loco de ſignis coctionis, quę in vrinis, ſputis, deiectionibus cernuntur: atque his explicatis vniuerſa dierum criticorum obſeruanda natura: poſtremo dicendum de ſignis pręſentem criſim vel futuram indicantibus. Quòd ſi quę à veteribus diligenter ſunt obſeruata, ad hęc capita retuleris, vniuerſam criſeos hiſtoriam perſpectam habebis.

Signa peptica inter epiphainomena locum habent: quibus naturæ contra morbum victoria, iudicii ſecuritas, & celeritas certiſſime iudicatur: quemadmodum apepticis contraria, vt eſt apud Hippocratem libro 1. Epid. comment. ſecundo. Coctiones celeritatem iudicii portendunt, ſecuritatémque ſalubrem. Cruda verò & incocta, atque in malos abſceſſus conuerſa, aut acriſias aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas. Verum ſigna coctionis à contrariis hoc nomine diſtinguntur, quòd illa quocunque tempore apparuerint ſemper ſalutem polliceantur modò nulla grauis culpa ab ægro committatur: contraria verò initio morbi, (quòd his definiri ſolet) nihil mali portendant, ſed in vigore & morbi incremento.

At pepticorum ſignorum duo ſunt genera, vnum quidem proprium, alterum commune. Propriũ certiſſima eſt nota coctionis morbi, vt ſputum morborum thoracicorum, vrinæ eorum quæ ſunt in venoſo genere, deie-

iectiones eorum quæ in ventriculum & partes vicinas incidunt. Commune etſi eam non habet certam coctionis ſignificationẽ, tamen non omnino negligi debet: cuiuſmodi eſt vrina in affectibus thoracis, aut alui deiectiones. Ex his enim non poſſis certò de coctione humoris pleuritidem generantis indicare, quod interdum accidat, vt vrinis & alui deiectionibus bene habentibus cruda ſit pleuritis, eas tamen non eſſe omnino repudiãdas docet Galenus libro de criſibus, vt quæ indicent naturæ robur. His poſitis, de pepticorũ ſignorum generibus ſingulis breuiſſime dicendum eſt ſumpto à ſputo initio, in quo genere laudabile primum deſcribi debet, tum ea quę ab eius integritate recedunt.

Sputi laudabilis notas petit Hippocrates à calore conſiſtentia, exernendi modo, doloris leuatione. Sputum enim optimum & perfecte coctum exiſtimat, quod album, lęne & & æquabile, conſiſtentia medium inter craſſum & tenue, quod citò & facile exernitur, cum maxima doloris affligentis thoracem alleuiatione. Tale proprio nomine Græci πτύελον appellant, ſicut quod ab eo recedit πτύσμα Latini excreationẽ. Ergo ſputa cruda erũt, quæ alio coloris affecta fuerint quàm albo, vt flaua, rufa, viridia, æruginoſa, liuida, atra, varia, quorum quædam etiam maligna exiſtũt: vt quæ æruginoſa, liuida, & flaua ſincera. Idem iudicium eſto de ſcreatione tenui, craſſa

viſcoſa, rotunda cum dolore ſummo excreta, quorũ omnium cauſę à Galeno tum in prognoſticis, tum libro de criſibus explicantur.

Alui excremẽta notę ſunt coctionis & cruditatis morborum in ventriculum & partes vicinas incidentium. Optimum quidẽ & laudabile coctionis apparentis: reliqua, quæ ab eo minus diſtant debilis coctionis eſſe dicuntur: quæ longius recedunt, multum lęſæ, vel deprauatæ. Propoſito igitur optimo alui excremento cętera facile intelliguntur illud autem certis quibuſdam circunſtantiis definitur ab Hippocrate in prognoſtico explicatis, quę à calore, conſiſtentia, tempore excretionis & quantitate petuntur. Scribit enim optimũ excrementum molle ſeu medium inter aridum & humidum, cohęrens, colore ſubflauũ, conſueto per ſanitatem tempore excretum, & alimẽtis ſumptis reſpondens. Quæ igitur conſiſtentiam habent diuulſam, vel tenuem & craſſam, alieno colore quàm ſuo affectã, albo, croceo, viridi, nigro, vario cruditatem ſignificãt. Quemadmodum & ſpumoſa excretio, ſtridẽs parcior, aut largior. Eorũ verò omnium cauſę à Galeno in criſibus & prognoſtico explicantur.

Poſtremum coctionis & cruditatis ſignum eſt vrina, quę potiſſimum in affectibus venoſi generis locum habet: in ea multa obſeruari debent. Prima humor ſeu ſerum ipſum, quo eius eſſentia conſtituitur. Deinde contenta.

In ſero cernuntur color, conſiſtentię quantitas & odor. Conteta duorum ſunt generum, aut enim per vniuerſum corpus vrinæ fundun tur, aut certum in eo locum occupant. Contenta per vniuerſum corpus vrinę fuſa, craſſas & turbuletas vrinas reddunt, quarum tria genera ſtatuit Galenus lib. 4. ſanitatis tuendę. Quę certum locum occupāt, ea vel ſuperficiem, vel medium vel imum. in ſuperficie cernuntur, ſpuma, bulla, circulus, colliquati adipes. In enęoremate ſublinamenta eiuſdem plane naturę cum hypoſtaſi. Hypoſtaſis naturalis alba, lęuis, æqualis in conum faſtigiata, imum locum occupat. Et ea quæ præter naturam eſt purulenta, pituitoſa, diuulſa colore alieno affecta, quorum omnium cauſæ & ſigna apud Galenum in prognoſtico & criſibus, & fuſiſſime ab Actuario traduntur. His obſeruatis, in genere vrina laudabilis eſt calore ſub aureo cōſiſtentia mediocri, & hypoſtaſim albam, lęuem & æqualem habens. Quæ ab ea diſcedunt in colore, conſiſtentia & contentis, aut horum nonnullis, hę vel cruditatem, debilem coctionem, aut longius progreſſam indicant. Cruditatem quidem inſignem, ſi plurimum abſint ab optima vrina: coctionē nonnullam quæ ad optimę vrinę dotes propius accedunt.

*Dies critici* Sequitur vt de dierum criticorum hiſtoria dicatur. Quæ vt facilius intelligatur, repetenda eſt altius diſputatio, & ab ipſius naturæ

motu inchoãda deſcriptio. Itàque loco principii ſtatui debet, motus naturę eſſe certos & conſtanti quadam lege & ordine definitos, quanquam ea conſilii & rationis non eſt particeps vt eſt apud Ariſtotelem libro ſecundo physicõ, tamen qui ab ea motus prodeũt, tam ſunt conſtantes, vt certo conſilio & ratione niti videantur. vnde natum eſt illud Hippocratis libro de genitura νόμος γὰρ πάντα κρατύνει quod eſt, Omnia lege fiunt. Quod quũ in cæli & ſyderum conuerſione, quatuor anni partium viciſſitudine, æſtu maris reciprocãte facile percipiatur, tum maxime in noſtri corporis admirabili conformatione, incremento, partu, certo temporis ſpacio definito, niſi quid extrinſecus acciderit, quod naturæ motum perturbarit. Atque ea naturę conſtãs agendi vis non ſolum in hiſce rebus cernitur, verum etiam in morborum acutorum & diuturnorum depulſionibus maxime elucet. In quibus quicquid ſalubriter & cum maximo ęgri cõmodo geritur, illud ad conſtantem naturę motum referri debet, quam tum ars ipſa tum cœlum adiuuat. Ars quidem humorem peccantem apparando, apparatũ blandis medicamentis tempeſtiue adimendo, quo velut ſarcina leuata, in reliqui humoris coctionem facilius incumbat. Cœlum autem naturę opitulatur, tum ſolis tum lunę opera. Quorum alter in morbis diuturnis imperium obtinet, quemadmodum luna in morbis acutis. Ea

enim pro vario habitu & ſchematiſmo aërem varie immutat, corpora noſtra afficit. Nam à cœlo vltima & nobis finitima, dum ſingulis menſibus ſuum orbem perficit cum multis ſyderibus coiens, vires quos ab illis accipit nobis impartitur. Vnde variȩ exiſtunt in aëre & corporib⁹ noſtris mutationes quas certis mutationis temporibus accidere à veteribus diligenter obſeruatum eſt: nempe eius cum ſole congreſſu ſeu interlunio, ipſius in duas partes æquali ſectione. Nam quȩ fiunt mutationes, quum vtrinque eſt gibboſa aut falcata magis obſcurȩ ſunt. Et quoniam hȩ inſignes in luna mutationes per ſeptimanas fieri conſueuerũt, dierum criticorum & ſeptimanarũ ex his conflatarum ſupputationem ad motum lunȩ medici retulerunt.

Septimo enim die ab apparitione dimidiata euadit, deinde elapſis ſeptem diebus plena, nempe decimoquarto die, ac poſtea decreſcens exactis totidem diebus ſemiplena fit, ſcilicet vigeſimo primo die, poſtremo emenſo pari dierum ſpacio, cum ſole congreditur. Et quoniã duplex motus lunȩ ab Aſtrologis tributus eſt, vnus quidem peragrationis, alter illuſtrationis, quorum vterque dierum criticorum ſupputationi, minus videtur eſſe accõmodus, ex vtriuſque coniunctione, ac poſtea coniuncti, in duas partes, ſectione ȩquali bipartiti menſem quendam criticum ſeu medicum confixit Galenus, qui nuſquam ſubſiſtit, vnde

nata

nata eſt recentiorum huius menſis reprehenſio. Hoc autem in vniuerſum propoſitum facilius intelligetur, ſi de vtroque menſe aliquid dicamus. Itaque menſis proprie reuolutionis complectitur, (omnium ſententia) viginti ſeptem dies, horas ſeptem, minuta fere quadringenta tria, vel vt quibuſdã placet, dies viginti ſeptem, horas octo cõtinet. Cuius hebdomada vna complectitur dies ſex & viginti horas. Duę hebdomadæ dies tredecim horas ſedecim. Tres hebdomadæ dies viginti & horas duodecim. Mẽſis illuſtrationis varius eſt, pro diuerſo tempore quo luna cum ſole congreditur. Is enim interdum complectitur viginti ſeptem dies, interdum viginti ſex, cum duodecim horis (vt Mathematici docent.) Itaque ſi menſis prior illuſtrationis cum mẽſe proprio peragrationis coniungatur, naſcentur dies quinquaginta quatuor cum octo horis, qui in duas partes æquales diuiſi, menſem medium efficiunt, qui viginti ſeptem dies continet, & horas quatuor: vbi verò menſis illuminationis poſterior iungitur cum menſe reuolutionis proprie, tum prodeunt quinquaginta tres dies cum viginti horis. Ex quorum in æquales partes diſtributione naſcitur alter mẽſis medius viginti ſex dierum & viginti duarum horarum: cuius quidem menſis ſingulę hebdomadę continẽt ſex dies cum horis ſeptẽdecim & triginta minutis: duę verò, dies tredecim, horas vndecim. Tres hebdomadę dies viginti,

horas quatuor, & triginta minuta. in ſingulis mẽſibus ſunt quaterniones, quorũ primus conſtat tribus diebus, horis octodecim, quadragintaquinque minutis. In ſingulis autem hebdomadibus ſunt quaterniones, quorum primus conſtat tribus primis diebus, horis octodecim quadragintaquinque minutis. Secundus ſecundę ſeptimanę proprius (quum ſit vere medium, trium ſeptimanarum) accidit, elapſis decem diebus, duabus horis, & quindecim minutis Tertius verò tertię ſeptimanę quaternio dictus, poſt decimumſextum diem, horas nouemdecim, & quadragintaquinque minuta enumerantur. Secundus, dies decem, horas duas, & quindecim minutas cõtinet. Tertius dies ſedecim. Si cum priore iungatur horas nouẽdecim, quadragintaquinque minuta. Hac ſupputatione Galeni à recentioribus parũ probata, quaternionum & ſeptimanarum numerationẽ minime fieri per dies integros, ſed incompletos aiunt. Et quaterniones eſſe eius diei in quem terminatur. Septimanas verò ad eum diem eſſe referendas in quem terminauerint, ſi quintam horam ſuperauerint. Proinde licet ſeptimana tertia terminetur viceſimoprimo die, tamen quia eius horã quintam non ſuperat, non illi tribuenda, ſed viceſimo, quanquam ſecundus quaternio dicatur eſſe diei vndecimi, cuius horas duas complectitur cum aliquot minutis. His itaque poſitis coniunctio & diuiſio ſeptimanarum explicanda

canda venit. Sed in huius menſis conſtituendi inuentione nimius fuiſſe, ac præter rationem multa tradidiſſe viſus eſt Galenus, quum vel plerunque primi inſultus diem nedum horam, quiuis contemplationibus minutiſſimis Aſtrologorum deditiſſimus conſequi poſſit. Quare in expultricem noxiorum humorum facultatem in ipſorumque κακοηθείαν, & copiam. Necnon in ipſorum morborũ morem & impetumq; denique in abditiorem quãdam & arcanã rerum ſympathiã, hos decretorios naturæ motus, certis quibuſdam & ſtatutis diebus eſſe reiiciendos, quam in Aſtrorum aſpectus & inflexus, commodius recentiores plerique iudicauerunt.

Septimanæ quæ ex quaternionibus cõſlantur alia diſiunguntur, quod nullum habeant diem communem, qui ſit finis vnius, & principium alterius. Cuiuſmodi ſunt prima & ſecunda ſeptimana. Nam ſeptenarius prioris finis eſt: octonarius conſequentis principium. Quæ verò inter ſe ita affectæ ſunt, vt in communi quodam die priorem finiente & poſteriorem incipiente copulentur: hæ coniunctæ hebdomadæ dicuntur. Cuiuſmodi ſunt ſecunda & tertia ſeptimana, quæ viceſimo die finiuntur. Nam decimus quartus dies antecedentis eſt finis & conſequentis principium, biſque hoc nomine computari ſolet. Eadem plane ratio in hebdomadis viceſimum diem conſequentibus: duæ enim primæ

dirimuntur à ſe inuicem, reliquæ verò duę, ſecunda & tertia coniunguntur.

Differentia dierum

Dies haſce hebdomadas conſtituentes non ſunt vniuſmodi, verum quidam horum ſunt indices, quidam critici, nonnulli interciden-tes ſeu intercalares. Qui omnes generali nomine decretorii dici poſſunt.

Indices ſeu contemplabiles dies notantur quaternionibus, mediis quadrangulorum lunæ reſpondentibus: vt critici proprie appellati ſunt, qui quadrangulis ſingulis lunæ reſpondent. Indicibus diebus prenunciatur id quod die critico proximo futurum eſt. Nam ſi die indice ſigna coctionis laudabilis apparuerint ſperanda die critico morbi in ſalutem ſubita inclinatio: ſin ſigna lethalia ſe prodiderint, in contrarium mutatio. Sunt autem indices ſex numero, vſque ad diem quadrageſimum, ſcilicet, quartus, vndecimus, decimusſeptimus, viceſimusquartus, triceſimusprimus, & triceſimusſeptimus, quibus vis magna ineſt, ad ſignificandum ante diem viceſimum, quo exacto eorum vis aboletur.

Dies critici ſeu decretorii duorum ſunt generum, aut enim proprie & ſuapte natura tales dicuntur, nempe hi in quibus optima criſis frequenter & plurimum fieri conſueuit, qualis ea eſt, quæ à nobis antea deſcripta eſt. nempe tuta, perfecta, manifeſta, ſubita, huiuſmodi ſunt dies ſeptenarii, ſex numero intra quadraginta dies comprehenſi. Septimus, decimus

quartus

quatus, viceſimus, viceſimus ſeptimus, triceſimus quartus, & quadrageſimus. In quibus par vis non ineſt: nam priores quidem dignitate & iudicandi facultate reliquos ſuperant. Et quò propius ad quadrageſimũ accedunt, tantò ad decernendum ſunt imbecilliores. Qui poſt quadrageſimũ ſunt dies, omnes fere languent, coctione potius aut abſceſſibus, quàm vera criſi morbum finientes. Accidit tamen interdũ, criſes fieri per excretiones, quæ quoniam paulatim fiunt, nec magnã habent violentiam, & dies tres quatuórue occupant: idcirco ſimpliciter ſcripſit Hippocrates, criſim nonnunquam die ſexageſimo fieri, & ceteris diebus ſequentibus, ſed circa hos dies ſupradictos. Scribit tamen Galenus libro primo de criſibus capite vltimo, interdum ſubitas mutationes in iſtis diebus accidere, vt confirmatur Deonactidis hiſtoria libro primo Epid. commentario tertio. Itaque à die quadrageſimo non amplius, quaternarii nec ſeptenarii numerantur, ſed vicenarii dies ad centeſimum, quo elapſo redit ſupputatio ad ſeptenarios menſium & annorum.

Alterum genus dierum decretoriorum eſt intercidentium in quos criſis incidit, propter morbi vehementiam, ægri, aut aſſidentium erratum, neque per ſe, aut facultate aliqua cœleſti ad indicandos morbos valent, vt ſunt tertius, quintus, ſextus, octauus, nonus, decimus, tridecimus, decimuſoctauus, vigeſimus pri-

mus, triceſimus. Verum hi dies intercidentes potiſſimum incidunt in priores ſeptimanas, in quibus nondum eſt remiſſa morbi magnitudo transferendæ in eos criſis cauſa.

Horum autem antea deſcriptorum dierum comparatio non ab obſcuro ægritudinis tempore, ſed manifeſto inchoanda eſt. Nam etſi morbum quædam ſymptomata antecedunt, vigiliç, dolor capitis, cibi faſtidium, totius corporis grauitas, ſenſus laſſitudinis, ab his tamen non eſt incipienda criticorum dierum ſupputatio, neque ab ipſo ęgri decubitu: quod nonnulli propter corporis mollitiem ante morbum decumbant: quum hęc non præſentem morbum, ſed futurum indicent. Alij vero longius progreſſo morbo. Itaque tum certa erit ratio ſupputationis ab eo tēpore, quo morbus ipſe fuiſſe certis ſymptomatibus prodidit, vt neque ægrum, neque cæteros fallere poſſit. Accidit tamen vt neglecto eo tempore partus ratio habetur. Scribit enim Hippocrates libro tertio prognoſticôn, dies criticos in febribus partum ſequentibus, non ab ipſa febre, ſed à partu eſſe numerandos, quod in vxore Hepocratis confirmatū eſt in primo Epidimiôn, quæ à partu febre correpta, indicata eſt die critico ab ipſo partu numerato: quanquam eodem libro Dromeadis vxor neglecto tempore liberata eſt die critico ab ipſa febre.

Reliquum eſt vt futuram optimam criſim

non rudi coniectura, ſed certo iudicio pręcognoſcamus. Pręcognoſcitur citò, vel tarde futura criſis, iiſdem modis quibus & ſtatus. Optimum enim pręnotionis principium, quod & futuri vigoris. Primum igitur natura ægri ſpectanda eſt, anni tempora, atque ætas ægri, tẽperatura, victus ratio, acceſſionũ circuitus, ſigna epiphainomena. Si enim morbus bilioſus fuerit, & conſtitutio morbi breuis erit, ſtatus proximus & criſis, quæ in ſtatum incidit. Contra vbi morbus melancholicus, vel pituitoſus fuerit. Anni tempora, & conſtitutiones morborum breues, ſtatum proxime futurum & criſin indicant. Nam febres acutæ in calidis temporibus celerrime mouentur, contra in contrariis temporibus. Idem dicendum de acceſſionibus. Nam ſi poſteriores multò anteuerterint, vehementiores & diuturniores fuerint, morbum increſcere oſtendunt, & celeriter ad ſuum ſtatũ tendere. Non minorem vim habent ſigna quæ in ſputis, deiectionibus & vrinis cernuntur. Cocta enim celeritatem iudicii, cruda criſeos perturbationem oſtendunt.

Imminentis verò ſeu præſentis iudicii ſigna ſumuntur ex coctionibus apparentibus in vrinis & cæteris excrementis. Deinde ex criſeos in quaternione pręmonſtratione, tertiò ex ſpecie morbi & more. Poſtremò ſi excretio ſpeciei morbi reſpondeat: ad quæ ſigna

crisima referri poſſunt, quæ duorum ſunt generum. Quædam enim ſigna ſunt tantum quę futuram excretionem indicant. Alia ſigna & causæ, vt vomitus, ſudores, hæmorragia: de quibus poſtea dicendum eſt.

Profluuium ſanguinis e naribus oſtendunt dolor capitis, pulſus tenſiuus cum magno calore coniunctus, oculorũ obtuſiones ſiue caligines, ſplẽdores, lachrymę inuitæ, malarum, oculorum & narium rubor, venarum temporum pulſatio, palpitatio nonnulla, aut pruritus in naribus, præcordiorum tenſio ſine dolore, difficultas anhelitus, ætas adoleſcentię, ver, æſtas, regio calida, aut temperata, conſuetudo.

Sudores prænuntiant alui vel vrinæ ſuppreſſio, rigor in febribus ſuperueniens, delirium, partes omnes corporis calidiores, & rubicundiores, pulſus vndoſus & mollis, qualis etiam ſudorẽ acceſſioni intermittentium ſuccedentem prænuntiat.

Vomitionem criticam oſtendunt, capitis dolor maxime mordax, vertigo oculorum & tenebræ his obiectæ, cordis morſus & anxietas, labri inferioris motus, pulſus durus & plerumque inæqualis, multum ac tenue ſputum per os defluens, rigor inuadens cum partium infra precordia poſitarum refrigeratione, ætas florens, natura, vitæ conditio, ac victus ratio bilioſa.

Eam

Eam verò criſim, quæ fit per aluum, aut vrinas, nulla ſigna propria oſtēdunt, ſed ſolum quum deſunt ſigna, aut vomitus, aut reliquorum ſignorum cauſæ: tum ſperanda eſt criſis per has vias, de quibus & eorum ſignorū cauſis apud Hippocratem in prognoſtico. & Galenus eodem., & in libro tertio de diebus decretoriis ampliſſime diſſeritur. Eadem de criſi per ſputum dici poſſunt, vt libro primo ad Glauconem monſtrat Galenus.

Hæ verò criſes ſiue excretiones minime ſalutares eſſe poſſunt, niſi habeant omnes ſuas notas, communes & proprias. Commune earum ſunt, cum ſignis cōcoctionis quarto die præmonſtratis, & die critico coniunctis, eruptio ſubita antecedente vehementi perturbatione, tolerandi facilitas, omnium ſymptomatum, (quibus antea æger grauiſſime torquebatur) remiſſio, pulſus melior, & color, naturæ robur. Quæ ſecus ſeſe habent, in his aliquid deſideratur, & imperfectę & malę criſes iudicandæ. Proprię vnicuique notę explicantur ab Hippocrate in prognoſticis, vt ſudor qui ex vniuerſo corpore manat, non frigidus, ſed calidus, non ſtillatim, ſed confertim, & cętera quæ hoc capite deſcribitur. In his autem excretionibus moliēdis natura interdum delinquit, quod accidit, cum humorem peccantem non vacuat, aut ſi vacuat imperfecte illud fit, vel propter humoris contumaciam,

vel vias impeditas, vel naturę imbecillitatem. Illud etiam naturæ peccatum eſt, quando nimio impetu in materiæ morbificæ depulſionem incumbit, ita vt ſeipſam ſiſtere nequeat, ſed manu medici auxiliatrice indigeat. Poſtremò quando ſuſcepta excretio non fit per locum conuenientem: in quo etiam multis modis delinquitur, vno quidem modo, ſi excretio ſpeciei morbi non conueniat, vt peripneumoniæ hęmorrhagia: alio modo ſi filamentorum rectitudo non ſeruetur, vt in hepatis inflammatione, ſi ſanguis erumpat per narem ſiniſtram. Deinde ſi motus humoris in partes principes feratur. Quartò, quando per partes liberum emiſſarium non habentes humores feruntur: vt in inflammatione hepatis, ſi in ſpatiũ quod eſt inteſtina & peritonęum humores recipiantur. Additur & poſtremus quidam modus à quibuſdam, quum per partes à prima conformatione vel morbo imbecilles humor depellitur.

*Criſis per abſceſſum.* Poſtremum genus criſeos per abſceſſum fit: cuius ſigna apud Hippocratem in prognoſtico, & Galenum de criſibus tertio explicantur. Huius duo genera Galenus conſtituit ex Hippocrate libro primo Epid. comment. ſecundo, ſectione octaua, vnum κατ' ἔκρισιν, id eſt per emiſſionem: alterum κατ' ἀπόθεσιν, id eſt per repoſitionem. Poſtremum genus longis potiſſimum conuenit, quòd ſi multum

à parte

à parte affecta diſtet, & partes ignobiles occupet bonum cenſetur: quod verò in partes ſupernas decumbit malum. De vtroque multę extant præceptiones libro ſexto Epid. & in Aphoriſmis in quibus ſemper videndum eſt, an filamentorum rectitudo ſeruetur. Qui enim fiunt non obſeruato ductu recto filamentornm omnes ſuſpecti ſunt: vt ampliſſime diſputatur à Galeno comment. ſecundo in 6. Epid.

Reliquum eſt caput vnum huius dialogiſmi, vt intelligatur criſis quæ multos dies occupat, cui tandem diei ſit propria, quod facile obſeruatur in his morbis qui paulatim & improprie ſoluuntur, vt ſexageſimo, octogeſimo, centeſimo: vt ſi in his fiant excretiones, quemadmodum ſcribit Galenus in Decretoriis, quæ plures dies occupent, hæ ad vicenos dies ſunt referendæ, quòd nullos habeant dies decretorios, in quos incidere poſſint. At in morbis acutis difficilior eſt obſeruatio, quòd dies decretorii veri multos habeāt dies intercalares, ad quos etiam pertinere criſes antea oſtenſum eſt: verū vt de hac re facilius decidatur adhibenda ſunt in conſilium acceſſionis principium, cum ſignis concoctionis coniunctum: deinde principium criſeos: tertiò perfecta febris ſolutio. Hæc enim tria ſi in eundem diem inciderint, huic criſis tribuenda eſt. Quod ſi die ſexto ac-

ceſſio inceperit, quæ tamen die ſeptimo terminetur, tempus iudicii ſpectandum eſt, ſi enim toto die ſeptimo maior pars fuerit, quã die ſexto, ſeptimo aſſignanda criſis erit. Vbi verò contingit iudicii tempus, ęqualiter in diem ſextum & ſeptimum incidere, ita vt tres notę ante commemoratæ, non magis ſexto quàm ſeptimo conueniat, tum videndum an die quarto anteceſſerit criſeos ſignificatio, ex ea enim intellegetur criſim pertinere ad ſeptimum. Quòd ſi nulla ſignificatio anteceſſerit, acceſſiones ipſæ ſpectandæ ſunt & dierum natura: nam ſi morbus paribus moueatur, ſexto die potius quàm ſeptimo fiet: quemadmodum ſi imparibus die ſeptimo, non ſexto attribuendum erit. Nam quibus febribus exacerbationes paribus diebus fiũt, iiſdem iudicatio in imparibus accidit: quemadmodum ab Hippocrate traditur primo Epidim. Quòd ſi iudicatio ipſa fiat extra præſcriptos dies, recidiuas fore ſignificat, eáſque ſane pernicioſas: vt eſt apud Galenum de popularibus morbis libro primo. Itaque horũ dierũ vim & poteſtatem cum naturæ ordine, conſenſu quodam tacito conuenire oportuit. Nam cum natura morborum medicatrix, corporis cui pręeſt curam, ac ſummam habeat rationem, propriis ac ordinatis motibus (nequid caſu & fortuito in rerum natura fieri dicatur) noxios humores tanquã effectrices morborum cau-
ſas

ſas expellere tentat , quod proportionibus quibuſdam definitis & periodis ordinatis , vt quaternariis & ſeptenariis præſtat , in ſalutaribus quidem potiſſimũ morbis, quemadmodum in periculoſis & lethalibus affectibus hi naturæ motus aliis diebus , nempe intercalaribus euenire conſueuerunt , vt ſexto , cuius naturam crudeli tyranno aſſimilauit Galenus primo & tertio de diebus decretoriis capite quarto. Et hac longa in morbis experientia didicerunt priſci ſapientes, ſeptenario numero tantam ineſſe poteſtatem atque dignitatem , vt eo cuncta pene in natura gigni, confici atque adimpleri videantur: vnde ab illis non immeritò, plenus atque perfectus habitus eſt. Quæ cauſa eſt , cur decretorios dies fauſtos & ſalutares per ſeptenarium recurrere cernamus, vt ex libro Epidimiôn, & de ſeptimeſtri partu apertiſſime colligi poteſt. Cõtra verò, quæ ſexto, nono, duodecimo & aliis intercalaribus accidunt criſes, vel imperfectæ, plerunque vel exitiales eſſe ſolent. Quare quum recto cum iudicio hæc obſeruauerimus & iiſce diebus aduerſus morbum , naturæ motus rite fieri cognouerimus , tum demum nobis inſpicienda eſt morbi ſpecies, magnitudo, & eius κακοηθεία, quemadmodum & hominis natura eiuſque vires, quaſi ex his non ſolum curandi, ſed etiam de futuro morbi euentu præſagiendi omnis ratio pendeat:

vt ſi ægri ætas ſit florens viribuſque is abũdet
morbus autem neque grauis ſit, neque perni-
cioſus, neque peſtilens, ſed coctus & mitis,
tunc hiſce diebus criſimis ſperanda ſalus. Cō-
tra verò, vbi morbus fuerit grauis, pernicio-
ſus ac peſtilens, crudus, contumax, ac diffici-
lis, naturę vires admodũ imbecillæ, ætas ſeni-
lis, tum grauiter ac ſummopere ęgrum pericli
tari vel etiã ipſum moriturũ ipſiſſimis diebus
aut ante vel paulò poſt, non temere iudica-
bimus prout ſigna magis ac magis ad ſalutem
vel ad pernitiem vergere videbuntur. Horum
alia cum ſint coctionis quæ πεπτικὰ & cru-
ditatis, quæ ὠμὰ, καὶ ἄπεπτα dicuntur, alia
ſint inſtantis criſeos criſima vocata. Alia verò
ſalutis aut mortis præſentaneæ ſint certiſſi-
mę notę, vt futuram criſim recte pręcogno-
ſcamus ad coctionis & cruditatis ſigna maxi-
me tum ad ipſa decretoria ſpectandum no-
bis erit, quòd ab aliis omnibus pręſagiendi
ratio peti debeat. Quemadmodum illa pro
varia morborum atque partium quibus inſi-
dent natura, ab vrinis, alui excrementis, atque
ſputis petere oportet. De quibus ſupra quum
ſit abunde dictum, hic huius dialogiſmi finis
eſto. Quod hæc ad ipſius criſis, & dierum cri-
ticorum cognitionem conſequendam & ad
ipſi medico officium præſtandum ſufficiant,
tum vt de ægri ſalute, aut morte quid futu-
rum ſit pręſagire tutò poſſit, tum vt pro recta
metho-

methodo ægros in his diebus, circa victum & medicamenta tractant: vel etiam poſt criſim ſuum munus adimplere. Quæ ſi indeficiēs & perfecta fuerit, tum neque mouere, neque innouare quicquam ſiue medicamentis ſiue aliter irritādo, ſed ſinere oportet. Hoc autem contingit ſi fiat per euacuationem inferiorem, & non per abſceſſus, ſi humor abundans & noxius euacuetur, ſi recto tramite fiat, ſi facile toleretur, fiátque in die iudicatorio cum ſignis coctionis. Quod ſi contrà eueniat, ſitque criſis imperfecta & deficiens, id quod deficit adiungere oportet, & malorum humorum reliquias, quas neceſſarium eſt, tempore putreſcere, & ita febres accendere, ob quam cauſam, ne ſcilicet recidiuas adferant, eos etiam euacuare conuenit quò omnem mali euentus cauſam abſcindamus, & ęgrum ad priſtinam ſanitatem, ſummo Dei beneficio & & numine, (cuius ſane verius quàm Naturæ ſumus ὑποδρηστῆρες vel χεῖρες, vt Hippocrateo verbo vtar) reuocemus.

*COMMENTARII DE febrium criſibus finis.*

UNIVERSIDAD ... BIBLIOTECA FARMACIA
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA FARMACIA

*Errata ſic corrige.*

Pag. 4. putreus,lege putrens. 6. enerremate, eneoremate. 14. negetis, neglectis. ibid. expreſſe , expreſſa. 17. vnum, vinum. 19. nulla, multa. 20. ſummum, ſomnum. 21. parandis,parandus. 23. ſufficiēt,ſufficienti. 26. cognitæ, cognitis. 37. ferulentus, fæculētus. 41. hepate,hepar. 46. liberalis, liberatis.ibid. apparebũt,apparabunt. 54. ſyrupi,ſyrupus. 57. ſymptomata , ſymptoma. 59.iudicium‘indicium. 63. tenuenda, tenuanda. 72. læne,læue.